ERYCI PVTEANI
DE
COMETA
ANNI ∞. IↃC. XVIII.
Nouo Mundi Spectaculo,
LIBRI DVO.
PARADOXOLOGIA.



COLONIÆ
Sumptibus Conradi Butgenij
Anno MDCXIX.

OTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SER.mis POTENTISSIMISQ. PRINCIPIBVS
ALBERTO ET ISABELLÆ
CLARÆ EVGENIÆ, AVSTRIACIS, BVRGVNDICIS, BELGICIS.

SERENISSIMI PRINCIPES:

COMETEN SPECTARE, SATIS MIHI NON FVIT, NISI ET SCRIBEREM: SCRIPSI AVTEM DVM SPECTAVI. VTINAM, QVEMADMODVM AB OPINIONE VVLGI RECEDERE AVSVS SVM, ITA SERENITATI VESTRAE PARADOXA PLACEANT, FIDVCIA ALIQVA STILI ADOR-

NATA! QVOD ENIM ALII INCENDIVM, EGO LVMEN; QVOD ALII PRODIGIVM, EGO SIDVS ESSE OSTENDI, ET SALVTIS VELVT PIGNVS. AN DICAM? HERCVLIS SECVTVS LABORES MONSTRA OPPVGNAVI. INCENDIVM VERO PRODIGIVM QVE QVIA AD PRINCIPES REFERRE PLERIQVE SOLENT; LVMEN EGO MEIS SIDVSQVE OFFERO: SED LVMEN BONIS, SIDVS FELICIBVS; ILLVD LAETVM, HOC FAVSTVM; QVIPPE A CAELO IGNOSCITE O BONI, FAVETE FELICES: EXEMPLVM POPVLARE OFFICIOSO SEQVOR RITV; ERROREM IMITATIONE CORRIGO. CAETERVM SI GRATI SERENITATI VESTRAE HI LIBELLI, NON MINVS IVCVNDVM DEINCEPS ERIT SPECTARE COMETEN, QVAM LEGERE: MIHI QVOQVE, NON MINVS SCRIBERE,

QVAM

QVAM SPECTARE LOVANII, IN ARCE VESTRA, A GRAVI LANGVENS MORBO DICTAVI, IDEOQVE BREVIS. III. NON. MARTIAS, ∞. IↃC. XIX.

SERENITATI VESTRAE
AETERNVM DEVOTVS
ERYCIVS PVTEANVS
BAMELRODIVS.

AD
CL ARISS. ET AMPLISS. V.
E. PVTEANVM
PROFESSOREM,
HISTORIOGRAPHVM,
ET CONSILIARIVM
Sereniſs. PRINCIPVM,
DE COMETA *ſcribentem,*
EPIGRAMMA.

MOnſtroſâ Fatale Comâ dum territat Aſtrum,
Intrepidus ſpectas: hoc, PV-
TEANE, nouum eſt.
Imò doces ſolâ metui nouitate Cometam:
Crede mihi, magis eſt hoc, PVTEANE, nouum.

PHILIPPVS ALBERTVS VELASCVS, Marchionis BELVEDERII Filius.

ELEN-

ELENCHVS PARADOXORVM LIBRI PRIMI.

Paradoxum I.

AVſpicium operis. Omnem ab ignorantiâ metum eſſe: Cometen ignorari.

Paradoxum II.

Fruſtra timeri autem, cùm in totâ naturâ prodigia ſint. Nouitatem, admirationis cauſſam eſſe, admirationem timoris.

Paradoxum III.

Scriptionis partes. Dei, Naturæ, Cometæ Conditio. Hanc inueſtigari magis, quam ſciri.

Paradoxum IV.

Veterum opiniones de naturâ & ſubſtãtiâ Cometæ: alijs aeream, alijs æthercam placuiſſe, nonnullis mixtam.

Paradoxum V.

Noſtra breuiter ſententia expreſſa, & aui.

qui obſeruationibus confirmata. Seneca vaticinium.

Paradoxum VI.

Cæleſtem Cometam eſſe Nomine, & Motu illius oſtenſum. De cælo, itemque Cometâ opiniones nouæ.

Paradoxum VII.

Cæleſtem Cometam eſſe, Morâ declaratum, & Parallaxi.

Paradoxum VIII.

Cæleſtem Cometam eſſe, Formâ demonſtratum.

Paradoxum IX.

Argumentum à Lumine, Magnitudine, Colore.

LIBRI SECVNDI

Paradoxum I.

ERraſſe Scriptores, aut vulgi ſenſu locutos, qui Cometas Fatales cenſuêre. Lætum Luminis omen eſſe; triſte, Caliginis.

Paradoxum II

De Bello fuse diſputatum: id è Cometâ

non

non portendi. Belli occaſione; cariſſima Patria mea VENLONA Sereniſſimis Principibus commendata.

Paradoxum III.

De Peſtilentiâ: huius nec Cauſſam, nec ſignum Cometam eſſe.

Paradoxum IV.

De Fame, aliјsque malis: hæc quocunque referas, perperam ad Cometam referri.

Paradoxum V.

Vanas & fallentes Interpretum minas eſſe, quæ in Reges, & Regna diriguntur.

Paradoxum VI.

Artes, ſcientiæ, & ingenia formidine ac infortunio liberata. Prognoſtarum vaticinia deliria eſſe. Inſignis Seruij de Cometâ locus.

Paradoxum VII.

Cometam à nonnullis olim fauſtum ac propitium habitum. De noſtro amœna quædam obſeruatio.

Paradoxum VIII.

Felicitatis præſagium , ad Pontificem, Imperatorem, Regem Catholicum, & Sereniſsimos Principes noſtros relatum.

Paradoxum IX.

Concluſio,& argumenti excuſatio. Non ſidera, ſed ſcelera prodigia eſſe: ſceleratis portendi, quicquid timendum eſt.



NVNC VACAT AVDACES AD
CAELVM TOLLERE VVLTVS.

ERYCI PVTEANI
DE COMETA
ANNI ∞.IↃC.XVIII:
Nouo Mundi Spectaculo,
LIBRI PRIMVS.
Paradoxum I.

Auſpicium operis. Omnem ab ignorantiâ metum eſſe: Cometen ignorari.

TERRERI humanum eſt: quo vno potiſſimum ſigno diſcimus, pleramque rerum naturam ignorari. Quod ſi mortales ſcirent omnia, iam nihil timerent. nunc vero à tanta felicitate remoti, quoties opinione fluctuant, in metum dilabuntur. Siquid terra noui, ſiquid cælum oſtendit, cujus occulta cauſſa ſit, nouas ærumnas aiunt, & calamitates

denunciari. Vnuſquiſque quod non intelligit, portentum clamat, & cęleſtis iræ ſignum. Vnde in remedium quoque Sapientia venit, olim culta; quæ poſtquam inueſtigare abditas cœpit rerum cauſſas, oculos quaſi humano generi dedit. Vulgus tamen omni æuo formidare maluit, quam ſcrutari: quicquid non caperet, extimeſcere. Sic quidem pauoris & horroris mater ignorantia eſt; quæ imaginem velut noctis habet. Tenebræ enim metum incutiunt, quia tenebrę ſunt: claro die nemo ſpectra lemuresve timet. Omnino quicquid in obſcuro eſt, percellere ſolet; adeoque ipſa ignorantia obſcura eſt & in ſuperſtitionem trepidas mentes rapit. Aſtrologos, Hariolos, Augures, & furentes omnes accuſo, qui, vt opinionem ſcientiâ

velent.

velent, dogmata ſua fatalibus minis onerant. Præcipue Oſtentorum interpretes, & Prognoſtæ. Dei conſilia inuadunt; quaſi etiam facilius, Prouidentiæ, quam Naturæ arcana reſerare. Tranſcendunt ſcientiæ fines & in ijs quæ non intelligunt, ingenioſi ſunt: propterea quia non intelligunt. Hic igitur morbus primum terras tenuit, & quicquid ignorari neceſſum fuit, ad oſtenta venit. Non alia cæli conditio: quicquid contemplantium ſolertiam vicit, pro miraculo habitum. Huius generis vnus præcipue Cometa eſt, inſoliti fulgoris ſchema, in tam vario aſtrorum cœtu, ſparſis velut radijs emicans. Cometa eſt, ille nouus, ille nuperus, ille omnium ſermone agitatus: quem examinare, quantum licet, conſtitui: non vt ſcire plus velle videar, ſi

curio-

curioſior ero ſed vt minus metuere ſi non omnia ignorabo. *Non deſunt*, inquit Seneca, lib. VII. Natur. Quæſt. *qui terreant, qui ſignificationes eius graues prædicent: ſciſcitantur, & cognoſcere volunt, prodigium ſit, an ſidus.* Sed obſecro, quos terrent? ignaros: & cur terrent? quia ipſi ignari. Grauis etiam ſignificatio partim ab ignoratione cauſſæ eſt, partim à nouitate, quam vnam admirari ſolemus. *Cauſſarũ enim ignoratio*, vt eſt apud Ciceronem, lib. II de Diuinat. *in re noua mirationem facit: eadem ignoratio ſi in rebus vſitatis eſt, non miramur.*

PARADOXVM II.

Fruſtra timeri autem, cum in tota natura prodigia ſint. Nouitatem, admirationis cauſſam eſſe: admirationem, timoris

Clamant igitur omnes, prodigium natum eſſe: pœnam ſce-

ſceleribus ,& velut flagellum divinitus imminere. De ſceleribus non vani ſunt. Quicquid in cælo eſt, terret; quicquid lucet, ad probitatem, pietatem, ſanctitatem vocat: Ideo Sol illuſtrat omnia, vt ad numen omnes aſſurgant, cauſſam, & principium omnium. Ideo ſæuo cælum mugitu boat, & vibratis fulmen ignibus excutitur, vt regi mundum maiori poteſtate cernerent, ſummo imperio cuncta coerceri. Ad rem Poeta princeps, lib. v.

—— Ante genitor, cùm fulmina torques,
Nequicquam horremus; cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & inania murmura miſcent?

Admiranda hæc: naturæ tamen legem & ordinem ſequuntur, ſemel à Deo, cauſâ vniuerſi, conſtituta. Sequuntur Cometæ,

vano

vano licet terrore paſſim traducti, & prodigioſo omine infames; quia non omnibus annis, aut luſtris naſcuntur. Sed ita ſe res habet: quicquid infrequens, oculos animoſque hominum trahit & occupat. Tum ſciſcitamur, tum inquirimus, noſtri & naturæ ſolliciti: quippe quamdiu ſolitam mundus faciem ſeruat, & ſtatas vices obit, magnitudinem rerum familiaritas abſcondit: ſiquid mutatur, aut præter morem incurrit, paſſim omnes, tanquam attoniti hærent. Miraculorum omnium compendium Solem puto: hic tamen quia quotidie lucet, ſpectatorem vix habet: quoties deficit, tenebriſque obducitur, obſeruari incipit. Luna etiam, tam varium formâ ſidus, & vel maculis ſuis pulchra: tamen negligitur, quamdiu pulchra; laborans autem,

terræ—

terræque vmbrâ velut perſonata, trahit oculos,& Endymiones inuenit. Ad ſummam: quamdiu ordo ſeruatur, cæci ſumus: ſi quid præter conſuetudinem ſe oſtentat, oculos aperimus, *Adeò naturale eſt, magis noua*, vt cum Philoſopho dicam, lib. VII. Natur. Quæſt. *quam magna admirari*. Hæc omnia, quę quotidie in cælo videmus, magna ſunt: Cometam lucere, id vero nouum. *Ergo nemo non ſcire quid ſit cupit, & oblitus aliorum de aduentitio quærit, ignarus, vtrũ debeat mirari, an timere*. Sed profecto & miratur, & timet. Miratur Quid ſit, Vbi ſit, Quomodo ſit: timet, quicquid fallax perſuaſio ominoſum facit, Perſequor ſingula, & de Oſtento audeo Paradoxa depromere: quæ, quemadmodum ab opinione multorum aliena erunt, ita veritati maxime accedent.

PA-

PARADOXVM III.

Scriptonis partes. Dei, Naturæ, Cometæ conditio. Hanc inueſtigari magis, quam ſciri

HÆrere circa vocabulum non conſtitui, in progreſſu explicandum. Hoc nunc ſatis, Κομήτην ἀπὸ τῆς κόμης dici: ſed ad omnes tamen formas referri. Latini ſtellam vel ſidus Crinitum appellant. Rem igitur aggredior, dicturus præcipue Quid ſit, & Vbi ſit Cometa: vt è geminο hoc velut fonte omnis argumenti copia educta dilatetur, & Diuinatio euaneſcat. Ignem eſſe, & in aere incendi, à pleriſq; hactenus creditum: ſtellam eſſe, & in cælo lucere, plures ab antiquiſſimo æuo ſtatuerunt. In Aere quomodo Fiat, Moueatur, Deſinat, inuenit Ariſtoteles, & ingenioſè tradidit: quomodo vero in cælo, diuinare hucuſque magis

magis licuit,quam ſtatuere. Etenim ſi ſtella eſt, vel fuit ſemper, vel noua certe origine cœpit. Et quæ hæc tam occulta natura eſt? Occulta, non repudianda. Iubeat Deus, & noua ſidera, imo noui cælorum orbes exſurgent. Ita enim totam hanc mundi machinam condidit; vt augere & ornare etiam poſſit: niſi exhauſtas tantę potentiæ vires, vnius operis molitione, credas: quod ſine ſcelere nemo arbitretur. Opus quod videmus, finitum, limitatum, & ipſa ſua magnitudine paruum eſt: Numen quod credimus colimuſque, infinitum, æternum, omneſque terminos ignorans. Vnde ſi comparatio inſtituitur, tamdiu augeri opus poteſt, quamdiu Auctor hoc ipſum ſuperat, nunquam tamen opere æquandus. Quicquid accedet, finitum erit; infinitus

illle,

ille,à quo accedet. Minus is poſſet,ſi creſcere opus non poſſet. Quod ſi mundo quoque capi deberet & includi, iam infinitos conderet: hos tamen rurſus omnes excederet, quia nullo loco aut limite poteſt circumſcribi. In ſuo vero domicilio,quod cælum appellamus, maiori potentiâ præſens eſt, qui vbique eſt; Numen ſuum nouis ſideribus, ſi opus, oſtenſurus; iram ſignis. Verumenimverò ſemel natura completa eſt,ideoque à Deo conſtituta, vt perfectionem ſuam haberet. An dicam? noſtro errore fit, vt admittere incrementum videatur. Sæpe etiam quæ miramur, non quia non fuerunt, ſed quia latuerunt, prodigia ſunt: prodigia, quia ex occulto prodeunt, ſiue producuntur. In cœlo autem naſci nouum ſidus,quam condi, facilius dixerim,

rim. Agnoſco Deum, neque miniſtram Naturam excludo. Hæc quocumque ſe extendit, morem Auctori ſuo gerit: terræ, cæliſque potens, cuncta ſibi obnoxia trahit, generando, corrumpendo, transformando. Quid mirum igitur, in ſuperis illis æthereiſque plagis aliquid noui eſſe? vbique eſt. Ac ſanè videtur ipſe Deus inſolito interdum ſplendore ad aſtra vocare mortalium oculos, continuâ velut ſiderum familiaritate in terram & terrena converſos. Homines enim, quia quotidiè cælum vident, non vident: vile eſt, quod quotieſcumque velis cernere, in conſpectum venit. Cometa verò, vt dixi, rarus eſt, ideoque omnium vultus in cælum erigit. Alij Ignem, ego innoxium malo Lumen appellare. Ignem illi, & in aere, tanquam propiorem, & ſic faci-

faciliorem cauſſam habeat: Lumen ego, & in cælo: quod fortaſſis fuiſſe ſemper, ex interuallo apparere quis putet. Subnaſci verò, & occulto quodam Naturæ modo, mea iam quidem opinio eſt. Raritas, ipſa illa raritas facit, vt & de Conditione tanti prodigij, & de Loco controuerſia ſit, à tot iam ſæculis agitata. Sic nondum ſciri potuit, Quid eſſet; & malum tamen ſæuumque definiuerunt: nondum, Vbi eſſet: & vbi noceret, conſtitutum eſt.

PARADOXVM IV.

Veterum opiniones de natura & ſubſtãtia Cometæ: alijs aeream, alijs ætheream placuiſſe, nonnullis mixtam.

ARiſtoteles, & tota Peripateticorum ſecta terrena origine in aere incendi Cometam voluit, & ἀναθυμίασιν ξηρὰν καὶ θερμὴν eſſe: *Exhalationem ſiccam & calidam:* quæ

quæ è terra ſpiraculis in altum protracta, paulatim compingitur, radijſque ſiderum percuſſa inflammatur, pendulum velut à primo igni incendium ſpargens. Stoici *Cometas*, referente Seneca, lib. VII. Natur. Quæſt. *ſicut faces, ſicut tubas, trabeſque, & alia oſtenta cæli, denſo aere creari.* At vero ſublimiori & diuiniori dogmate Democritus olim & Anaxagoras, item Pythagorei: & ante hos Chaldæi in cælo, & numero ſtellarum errantium hanc quoque ſtellam, etſi non eodem modo omnes collocarunt. Democritus & Anaxagoras, eſſe σύμφασιν τῶν πλανητῶν ἀςέρων: *Coapparitionem ſtellarum Errantium.* Pythagorei: *Eſſe planetas, ſed nonniſi poſt longa interualla apparere, parumque à Sole digredi.* Videndus Ariſtoteles lib. I. Meteor. cap. VI. De his, Pythagoreis inquam, Plinius libro II.

cap.

cap. xxv. *Sunt qui & hæc ſidera perpetua eſſe credant, ſuoque ambitu ire, ſed nonniſi relicta à Sole cerni.* Chaldæi verò, vt eſt apud Stobæum in Eclogis Phyſicis, *Vltra Planetas alias ſtellas eſſe aliquãdo remotas, & ſic occultas, aliquando conſpicuas, cùm ad inferiores partes deſcendũt. Vocari autem Cometas ab ijs, qui neſciunt ſtellas eſſe. Abſcondi deinde, non extingui, cùm in ſuam regionem, ætheriſque profundum referuntur, piſcium inſtar, qui quamdiu in ſummâ natant aquâ cerni poſſunt vt ſe demittunt, oculos effugiunt.* Ipſe, vt omnes dicam, diuinæ magis quam humanæ mentis & conditionis Seneca, tam facile à Stoicis ſuis abijt, quam abſurdum putauit, adeo pulchrum ſpectaculum aeri conſecrare. Ait igitur, lib. VII. Natur. Quæſt. *Cometas æternos eſſe, & ſortis eiuſdem cuius cætera ſidera, etiamſi faciem illis non habeant ſimilem.* Item: *Non exiſtimo*

ſtimo Cometen ſubitaneum ignem, ſed inter æterna opera naturæ. Rationes quoque ipſe dilatat. Seruium miror, qui Virgilij illud, lib x. *Cometæ Sanguinei lugubre rubent*, explicans, contra quàm Seneca, refert, Cometas à Stoicis *inter ſtellas cenſeri,& vltra trigintaduas numerari.* A Stoicis? fortaſſis à Chaldæis, vel Pythagoreis. E cælo & aere miſcuerunt dogma ſuum. Hippocrates Chius, & Diſcipulus eius Æſchylus, apud Ariſtotelem lib. 1. Meteor. cap. VI. *Cæleſtem ſideris globum eſſe, aeream vero comam.* Fabularum conditores, vt & hos adiungam, non potuerunt ſine Cometâ ingenioſi eſſe; nec conſecrare lepidiſſimum figmentum, niſi in cœlum eveherent. Antoninus Liberalis è Nicandro, & Corinnâ refert, *Metiocham & Menippam Orionis filias, vt Aoniã peſte liberarent, ſeipſas immola-*

molauiſſe: conuerſa à Plutone & Proſerpinâ in ſtellas cadauera: has in cœlum translatas, Cometaſque appellari. Seruius in librum x. Æneidos, *Stellam Crinitam à Poetis Electram dici, in aſtra receptam, cum, flagrante Troiâ, capillum laceraret*. Crines ſtellam fecere: dolorem Electra criminibus teſtata eſt. AEui noſtri opiniones aere quoque & cœlo diuiſę ſunt. Pro aere Philoſophi plerique, & ſic pro Ariſtotele: pro cœlo Mathematici nonnulli, ſed præcipui ſteterunt. Inter Philoſophos & Mathematicum ſe oſtendit CORNELIVS GEMMA, verè Gemma, imo dignus, qui è Gemmâ naſceretur, Vrbis & Academiæ huius lumen atq; ornamentum.

PARADOXVM V.

Noſtra breuiter ſententia expreſſa, & æui obſeruationibus confirmata. Senecæ vaticinium.

Me

ME nunc igitur ſi quis interroget, liberè, & ſapientiæ fiduciâ, in cælum vſque feram ſuffragium, & inter æterna naturæ opera prodigum non ęternũ re feram: inter

aduerſo pugnantia ſidera mundo,
Quæ cælum terramq; inter volitantia pendent.

Etenim expenſis, & examinatis omnibus, in eam venire ſententiam audeo, vt ſtatuam, Cometam cæli ciuem eſſe, Solis ſobolem, ætheris partem & partum; corpore ſtellam, lumine facem, motu erronem: corpore ſuo, lumine non ſuo, motu ſuo & non ſuo. Naſci dixerim; quia denaſci video, ſed cum nullo cæli damno, ſine vllo portento. Ne dirum aut ſæuum putes, lucere, non ardere cogita: prorſus naturali cauſſâ vt ornamentum, non vt incendium agi. planetarum

ſplendor quia familiarior eſt, ſæpiuſque in oculos incurrit, nemini timetur; ſed an quoque noceat incertum eſt. Iunge Cometam, benignum credes: ſatis familiarem, ſi intelliges. Ad rem Sextus Empiricus, lib. 1 Pyrrhon. Hypotyp *Sol multò certè maiorem obſtupefaciendi vim habet, quàm Stella crinita. ſed quoniam Solem crebrò videmus, rarò autem Stellam crinitam: Stella hæc ita nos attonitos reddit, vt eâ portendi etiam aliquid à Dijs putemus: at Sol non item. Quod ſi imaginemur Solem rarò apparentem, rarò occidentem, & vbi ſimul omnia illuſtrárit, repente omnibus rurſus tenebras inducētem, reperiemus in hac re, vnde vehementer obſtupeſiamus.* Sanè vt Cometam eſſe Planetam credas, & in æthere verſari, admirandis obſervationibus ſuis præſtantiſſimi noſtrorum temporum Mathematici effecerunt. Horum in-

induſtriam, an ſcientiam magis mirer, dubium eſt. Namque induſtriâ conſecuti ſunt, quod ſolertiſſimæ Antiquitatis ſcientiâ maius fuit; ſcientiâ quod omnis æui induſtriam fugit. Ergò verum iam Senecæ vaticinium, lib. VII. Natur. Quæſt. *Veniet tempus, quo iſta quæ nunc latent, in lucem dies extrahat, & longioris æui diligentia. Ad inquiſitionem tantorum, ætas vna non ſufficit, vt toto cælo vacet.* Mox: *Veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.* Denique: *Erit qui demõſtret aliquando, in quibus Cometæ partibus errent, cur tã ſeducti à cæteris eant, quanti, qualeſq; ſint.* Certè demonſtrauit non vnus; & inter alios tamen quaſi vnus, TYCHO BRAHAEVS, ille aſtronomiæ oculus, & RVDOLPHO Cæſari nuper carus. Demonſtrauit, inquã, Cometen an. CIↃ. IↃ. LXXVII. non in aeriâ, ſed cæleſti regione exſtitiſſe.

PARRDOXVM VI,

Cœleſtem Cometam eſſe, Nomine, & Motu illius oſtenſum. De cœlo, itemque Cometâ opinationes nouæ.

DE Noſtro dico, & argumenta è materiæ viſceribus duco: a Nomine, & Motu: à Morâ, & Parallaxi: à Forma, Lumine, Magnitudine, Colore. Argumenta hæc erunt: & ſimul vniuerſam Sideris naturam aperient. Nomen mihi omen eſt: ætherem, Deique domum indicat, Græco & Latino loquendi vſu. Græco quidem ἀςὴρ Κομήτης, Latino, *Stella*, ſiue *Sidus Crinitum* appellatur. Ἀςὴρ autem Stella, Sidus, ubi, niſi in cœlo? In Motu plus momenti eſt: hic geminus, quemadmodum & Planetarum. Nam primum mundi ſemitam nouus Cometa ſecutus eſt, & diei noctiſque circulum quo-

quotidie abſoluit. Deinde, ſuum quoque iter diuerſo niſu, ęquali ac dimenſo ſpatio explicuit, Et vbi igitur, niſi in cælo? Diuerſo niſu, & verſus Boream: quemadmodum in aliud aliudque mundi latus conuerti alij ſolent: nec im vno naſci. Æquali etiam ac dimenſo ſpatio, etſi ſub finem tardiore. Nam quam diu maxime viguit, celer fuit, & tres quotidię partes confecit. Talis ille quem Nicephorus Gregoras deſcribit, lib. x i. in Septentriones, & pari celeritate progreſſum. imò non talis. *Nam veſperi apparuit, & ortum à Perſei pedibus ducens, polum præterijt, ac deinde Vrſam minorem, & ſpiras Draconis, dexterum etiam Herculis pedem attigit, indeque Coronam Ariadnes, ſiniſtramque Ophiuchi manum percurrens, euanuit.* Sed noſter tandem, tanquam laſſus, lentior viſus, vix duas quotidie partes metiens. Viſus eſt, non fuit

fallente oculos ſemitâ, quæ in altum, & ſuo quodam flexu, quemadmodum dicam, convertebatur. Nunc vniuerſum hunc motum quemadmodum ex Arce hac Louanienſi, Muſarum mearum ſede, obſeruaui, deſigno. V. Kal. Decembris, horâ v. poſt mediam noctem, in ſigno Libræ, citra Æquinoctialem primo ſe ſpectandum præbuit, & moueri in Septentrionem cœpit, medius inter Virginem, & Serpentem. Permeauit hinc Booten, relicto ad ſiniſtram Arcturo. Poſtquam vero circa Eidus Decembris, ad læuum imaginis huius brachium perveniſſet; Maiori iam Vrſæ imminens; libratâ velut lineâ, duas extremæ caudæ ſtellas excepit, & occidere nobis deſijt: ſic quidem deinceps & Matutinus, & Veſpertinus; Orientalis, & Occidentalis;

Luci-

Lucifer,& Heſperus; totius, vt ſic dicam, iam noctis ſidus. Brumæ die manum Arctophylacis occupans, extremam Vrſæ ſtellam, ſed radijs iam multum contractis ac dilutis, æquauit, ad reliquas duas oblique porrectus. Paucis adhuc diebus ſervavit curſum, & magis magiſque imminui cœpit,

Donec in exiguum moriens vaneſceret ignem.

Hæc cum ita ſint, peculiares à naturâ gyros conſtitutos Cometis cenſeo, peruioſque eſſe: in aere ne concipi quidem aut deſignari poſſe. Omnia hic fortuita, incerta, & verè palantij ſunt. Impelli ignem videas & progredi, non quò ordo, aut lex viæ, ſed quo caſus pabulumque, aut etiam ventus ſi ille huc aſcendit, trahunt. Ratiocinantem Senecam audiamus, lib. VI. Natural.

Quæſt. *Quomodo poteſt in aere aliquid idem diu permanere, cùm ipſe aer nunquam idem maneat? Fluit ſemper, & breuis illi quies eſt. Intra exiguum momentum in alium, quàm in quo fuerat, ſtatum vertitur. Nunc pluuius, nunc ſerenus, nunc inter vtrumque varius: nubèſque illi familiariſſimæ, in quas coit, & ex quibus ſoluitur, modò congregantur, modò digeruntur, nunquam immotæ iacent. Fieri non poteſt, ut ignis certus in corpore vago ſedeat, & ita pertinaciter hæreat, quam quem natura, ne vnquam excuteretur aptauit. Deinde ſi alimento ſuo hæreret, ſemper deſcenderet. Eò enim craſſior aer eſt, quò terris propior: nunquam Cometes in imum uſque demittitur, neq; appropinquat Solo. Etiamnum ignis, aut it quò illum natura ſua ducit, id eſt ſurſum: aut eò quò trahit materia cui adhæſit, & quam depaſcitur.* Peripatetici nihilominus vi alicuius ſideris rapi volunt Cometam, & in aere cœli legem eſſe. Sed profectò vo-

volunt, quod maximè dubium, aut etiam difficile eſt. Etenim alia ſideris alia aeris natura eſt, & loco ſeiuncta. Aer fugax, fluxus, leuis: ſidus certum, perrenne, conſtans. Ad ſummam: aut in cælo Cometa eſt, aut nulla aer leuitate fluctuat. Ergo motus ille cæleſtis eſt: & quia motus, ipſe quoque Cometa. In cælo vero aliquid naſci, aut denaſci poſſe, tam facile credo, quam mundum Deo inferiorem eſſe. Multa fortaſſe in ſupremo illo domicilio mutantur, quæ nos latent; multa, exiſtunt, quę ne ineſſe quidē arbitramur; multa denique aliter, quam apparent, collocata ſnnt: quæ ſi oculis metiamur, fallant. Ecce, ſublimem & infinitum ſtellarum chorum quoties ſuſpicio, fateri cogor, aliū profecto eſſe ordinē, aliū videri; imo eſſe ordinē nullū videri. Nāvt ſe imago inſinuat, alibi frequētia, ali-

raritas eſt;quaſi & felicitate ſuâ alibi exuberet cælum .alibi ſterilitate deficiat. Quid? Quemadmodum in viâ Lacteâ Sporades ſunt:ita ſparſa & confuſa vbique ſidera videntur ; caſu magis,quam prouidentia condita. Fruſtra quidem cætera naturæ membra in venuſtatem digeſta ſunt , niſi & illa cæli. Summo ordine ſumma quidem machina digna fuit illa immenſa, illa æterna , illa diuina. In horto flores, in pomario arbores , in mœnibus turres , in monili gemmæ lege quadam & arte diſtingui ſolent: infra flores , arbores, turres , gemmas , cur ſtellas habeamus? Fruſtra in cælo commendes lumen, ſi ordinem deſideres. Suſpicor igitur , non in ſuperficie hærere ac lucere tam admirandos ignes,ſed alium atque alium in profundiſſimo ſpatio,

tio locum occupare. quoſdam humiliores, quoſdam ſublimiores eſſe; omnes ſummo & admirando ordine diſtare: ſed ordine, qui oculos noſtros fugit. Quod ſi vel ex orbe Lunæ, vel ex alia mundi parte fas homini cælum contueri, nouus omnino & ignotus adſpectus eſſet: perijſſent imagines, quibus fabularum audacia ſtellas occupauit. Quiſquis naui aut curru fertur, hanc in turribus, domibus, arboribus varietatem circumquaque deprehendit. Viſa fallunt, & noſtrum ſequi motum videntur; nunc ſeparari, nunc coniungi, prout aut eandem ab oculo eductam lineam aut diverſas ſubeunt. Ergò in rebus omnibus ſuſpiciunt omnes quicquid aut inſolitum, aut mutatum deprehendunt: naturam quoque rerum quia ingenio humano maiorem

vinci prodigio clamãt. Sed quid? nouum in cęlo ſidus fulgere poſſe, ſuperiori ſæculo Caſſiopea oſtẽdit: imò verò pleraq́, aliter ſe habere, quam ab Ariſtotele prodita ſunt, ſenſu tãdem exploratum eſt. Hactenus quis opinatus, Lunæ varietatẽ in Venere eſſe? Quis circa Saturnum minutos Planetas ludere? Quis miſceri curſus, liquidãque cælorum naturã expandi? Abeo à cõmuni dogmate, & credere iam incipio, Solos circa terram Solem Lunamq́ue volui, circa Solem reliquos Planetas; ſed Mercurium Venerẽque citra terrã & contractioribus circulis: Martem, Iouem, Saturnum, circa, ampliuſq́ue extenſis. Credere incipio, vario Cometas omnes tramite Planetarum curſibus inerrare: ſed intra Martis limites, qui primus ambitu ſuo & Venerem, & terram includit. Ergo nonnullos quoque Soli proximos ferri,

fontiſque ſui iubare abſcondi. Ad rem Seneca, li. v I. Natural. Quæſt. & citatus Senecæ Poſidonius: *Multos Cometas non videmus, quod obſcurantur Solis radijs: quo deficiente, quendam Cometen apparuiſſe, quem Sol vicinus obtexerat, Poſidonius tradit. Sæpe autem, cum occidit Sol, ſparſi ignes non procul ab eo videntur. Videlicet ipſa Stella Sole perfunditur* (id eſt, globus Cometæ,)*& ideo adſpici non poteſt. Cometæ autem* (id eſt, Cometarum faces) *Solis radios effugiunt.*

Similiter Arrianus apud Stobæum in Eclogis Phyſicis. Ἤδη δὲ καὶ πλησίον ἡλίου ξυστάντες κομῆται οἱ μὲν ἔφθησαν ἀφανισθῆναι πρὶν τὴν γένεσιν αὐτῶν καταστῆναι ἐμφανεῖς, οἱ δὲ ἐκλείποντος ἡλίου ἐξεφάνησαν. *Iā verò & propè Solem conſtituti Cometæ, alij euanuerunt, priuſquā conſpicui fierent: alij, deficiente Sole, apparuerunt.*

Cur vero nō toto libero q́; vagari æthere Cometas putē, cauſſa hæc eſt: quia circa Solem, citra terram

cos

eos moueri, obſeruationis neceſſitas ſuadet. Huc refero illud ab Ariſtotele traditum, maleque à Plinio translatum; Euaneſcere Cometas, priuſquam ex hemiſphærio noſtro migrent. Verba Ariſtotelis ſunt, lib. 1. Meteor. cap. VI. Ἅπαντες δὲ καθ' ἡμᾶς ὠμμένοι, ἄνευ δύσεως ἠφανίσθησαν. *Quotquot tēpeſtate noſtrâ viſi, ſine occaſu euanuerūt*. Plinij iſta: *Sed Cometes nūquam in occaſurâ parte cæli eſt*. Enarrare, quoties fuerit, omnino ſuperuacaneum eſt. Excuſent viri Docti creſcentem ſub ſtilo opinionis audaciam: quid omnino mente concepi, patefactum magis eo. Quid? Totum illud quod cælo ſtellato ſubeſt ætheris ſpatium, & planetas continuat, vnum, ſimplex, fluidum, videri non orbibus, ſed curſibus duntaxat, ſiue ambagibus Errantium ſiderum diſtinctum. Non igitur

Ho-

Homerum hîc audio, qui ὀυρανὸν πολύχαλκον, & σιδήρεον appellat: non alios, qui ſumma & ſplendentia illa templa compingunt burãt, ſolidant, tanquam *are fuſa*. Magnorum ſanè Virorum, diuerſumque ſentientium calculos collegit Clariſſimus THOMAS FIENVS, Medicorum noſtri temporis egregium decus & liberrimâ de hoc ipſo Cometâ Diſſertatione cæli Liquorem explicuit. Inter alios (non enim poſſum quin ex auro gemmam eligam) eleganter, breuiter, verè D. Baſilius ſublimem naturam, λεπτὴν, ὡσεὶ καπνον eſſe dixit, *tenuem, tanquam fumum*. Omnia dixit, verumque dogma non minus pinxit, quám expreſſit. Siquis diſtinctiorem etiam imaginem deſideret, ab Origene petam: *Sidera ſuis motibus agi: nec ſelus in cælo eſſe, quam animantia in terra, piſces in aquâ, volucres.*

cres in aere. Me profecto præter auctoritatem inconcuſſa ratio in nouam iſtam, imò antiquam opinionem trahit. Obſeruant enim hodie Mathematici, Venerem Lunæ vt dixi, vultu, eſſe: modò curuari in cornua, modò æquâ portione diuidi modò in orb. ſinuari ac prorſus velut Triuiam eſſe. Vnde hæc varietas, n ſi & ſupra Solem (cui ſemper proxima,) & infra, & iuxta collocetur? niſi per liquidum, etſi breue, cæli ſpatium erret? Infra, cum nouũ nouâ luce vultum auſpicatur: iuxta cum dimidiatum oſtendit; ſupra, cum plenũ. In Luna quidem alia ratio eſt. hæc enim quia longiſſime, & in oppoſitam ætheris partem à Sole digreditur, & ad Solem redit, alio ac diuerſo quam Venus ſitu aliquando inter nos & Solem media eſt, & μηνοειδὴς appellatur: aliquando obliqua, æquata iam

l uce

luce & vmbra, & διχότομος· aliquando inter Solem & ſe nos medios deſtituens, & ἀμφίκυρτος, donec prorſus, oppoſita Soli pleno orbe πανσέληνος fulget. Quod igitur ad Sidera hæc attinet, aio in liquido ſpatio ſolida & vaga eſſe, certa tamen & ordinata lege ferri: ſed alia maiora eſſe, & inde ab origine rerum conſpicua, minora alia, occulta, tecta, & nunc demum vitri miraculo detecta. Ecce quo ingenium tantummodo ibat, acieſque mentis, nunc oculis peruenitur: vt neſciam, cęlum ad nos demiſſum ſit, an nos ad cælum ſublati, adeoque ſublimati. Cernere igitur, ſeneſcente iam propè mundo, diuinam & ſecretam ab elementis regionem cœpimus; notare & diſtinguere, quæ oculos tot ſeculorum fugerunt. Ne omnia recenſeam; corpora

quæ-

quædam, nec vnius magnitudinis, circa Solem errantia, & quod mirandum in viciniâ tantæ lucis obſcura. Luna quodammodo talis, ſed quà Solis expers. Hæc cernimus, inquam, notamus diſtinguimus; verum beneficio eiuſdem lucis, & quoties ex aduerſum jubari collocantur: alia, & his ſimilia credimus, per alias quoque cæli partes ſparſa, rapi mundano, & ſuo ſingula motu cieri. Cogita ſidera eſſe, ſed imperfecta, ſed luce caſſa, ſidera non ſidera. Cogita naſci in æthere, & denaſci: quædam autē peculiari ſorte purgari, pellucida reddi, & illuminari. Breuiter: conuerti in Cometas, vt cum luce deinde intereant. Itaq, ſplendorem à Sole accipiunt hæc corpora, hæc prodigia: & hactenus velut ſidera ſunt: tranſmittunt deinde ſiue Comæ, ſive Barbæ iubar; & à ſideribus diſtinguuntur.

Tranſ-

Tranſmittunt; quemadmodum globi aliqui ſiue vitrei, ſiue cryſtallini, ſiue glaciales ſolent, radijs Solis perfuſi: imò quemadmodum aqua ſolet vaſe vitreo, cryſtallino, glaciali concluſa: in his enim ſimilitudinem aliquã Cometę videas. Non difficulter etiã ſtatuo, denſiorem ætheris partẽ corporibus iſtis adhærere. imò circumfundi, in quam emiſſi per Cometam radij, reſplendeant, ſicuti in nube, fumo, pulvere fieri, Sole ſplendente, ſolet. Denſior autem ille æther, vel conglobatæ iam materiæ reliquiæ ſunt, quæ in eandem compingi maſſam, ac denſari non potuerunt, vel certè affluxus, trahente ſpiſſiorem naturâ liquorem, quotieſcumq́ue nouum aliquod ſideris miraculum generatur. Omnium hæc certe rerum indoles eſt, ſtimulari, & moueri ad perfe-

ctionem

ctionem. Sic in gemmam, in fruticem, in arborem telluris ſucci veniunt, & mutantur. Perfectior autem globi quam liquidi diffuſique ætheris forma eſt: quemadmodum gemmam, fruticem, arborem rudi terræ præferas. Cometa igitur excipit lumen Solis; per Cometam Æther, ſed craſſior: ſiquid vltra ſplendoris eſt, oculos noſtros fugit. Et cur eſſet? hærere nequit, imó cum reliquo cæli lumine confuſum eſt. Prorſus terminat denſior materia radios & velut definit; vt ſi quid interdum plenam formam non habeat, defectu materiæ facem excipientis id fieri neceſſum ſit. Vnde quod à Clariſſimo Optimoque Viro Ioanne Stormio, Medico, & Matheſeos in Academia hâc noſtrâ Profeſſore, curioſe obſeruatum eſt, extremam hanc dextro latere Barbam imminutam, & velut

lut reciſam fuiſſe, diffiicile non puto. Quicquid id fuit materiæ adhærenti malo, quam globo imputare A globo enim totum magis affici latus, quam lateris angulus debuit: materia vel hanc vel aliam definire luminis formã potuit. Quid ſi tamen fieri Cometen ſtatuas è globo iam deficiente? quaſi nihil ille aliud ſit quã diſſolutio eiuſmodi corporis; quod cum rareſcit, materiamque circumfundit recipiat ſolem; tamque admirandum luminis ſpectaculum exhibeat? Globus enim quãdiu denſus compactuſque, vel recuſare videtur lumen, vel tenue admodum ~~rec~~ recipere, & vix à reliquo cælo diſtinctum: rarefactus illuſtrari incipit, & mox à diffuſo vt ſic dicam, liquore ſuo criniri videas.

Totum

Totum hoc vero quod dixi lumen& ſideris & profectæ facis, à Solevelut fonte promanare,paulopoſt oſtendam : non exiguum opinionibuic pondus adiecturus. Interim baſis ac fundamentum iſtud,quod dixi: Quippe & nata aliquando & denata ſunt.Si quis obnoxium mutationi cęlum miratur, vniuerſam mirábor naturam eſſe Terram omiſſis iam alijs videamus.Homines & bruta, arbores & ſtirpes, vrbes & ædes oriuntur,& pereunt; imò vt pereant Sed quantilla hæc ſi tanquã membra orbis cenſeantur? Manent interim regiones & maria, montes & flumina, páſſimque, tanquam non mutetur,moles hęret.In cælo quidni ad eundem modum varietas ludat? Cogita minuta multa ,& pænè infinita, partim generari , partim corrũpi quotidie,ſed humanis oculis

nequa-

nequaquam comprehendi. Minuta? Imò & magna quædam: rarius tamen, quia magna ſunt. Quid igitur? non ideo aut cælum eſſe cælum deſinit; aut aſtra, aſtra. Omnino licet mutetur terra, mundus tamen mundus eſt: mundi enim pars quædam à Deo conſtituta Sic licet mutetur cælum permanere tamen mundus poteſt: pars enim & mundi cælum eſt. Semel effero: Machinam hanc totam quã cernimus, & quã nõ cernimus, vnum corpus eſſe, & in Aetherem, atque Elementa diuidi: partes igitur quædam elementa ſunt, nec à toto naturâ ſuâ diuerſæ: vt nec totum à partibus. Rerum quidem ſpecies aliæ aliæque paſſim: res eædem tamen, ſi materiam ſpectes, è quâ formantur. Sed mutari cælum, non pauci olim, hodieque ſibi perſuaſerunt: eas enim in cælo conditiones eſſe,

quæ mutationem admittunt. Primo, Raritatem, & Denſitatem: illam orbium, hanc ſtellarum: ſtellas autem orbis partes eſſe. Secundo Lumen, & Caliginem: illud in Sole, hanc in Lunâ, cum laborat; illud in ſtellis, Planetiſque, hanc in corporibus, quæ tanquam Planetæ errant. Tertio, Motum, & Quietem; illum in totâ machinâ; hanc in cardinibus ſiue polis. Quod ad Ariſtotelem in re non verâ ingenioſus, imo admirandus fuit; imo quia mutationi cælum exemit, à cœlo exulare Cometen voluit.

PARADOXVM VII.

Cæleſtem Cometam eſſe, Morâ declaratum, & Parallaxi.

SEd Motus me abduxit longius; figo pedem, Temporiſque Spatium quo durauit Cometes

tes,pariter ad examen voco: ortum, inquam, & occaſum. Oriri cœpit,& conſpicuus eſſe,v. Kal. Decembris:occidere, & abſcondi, præcipiti iam menſe & anno: quæ triginta circiter dierum mora fuit; parua quidem, ſi alia in Comam vibrata ſidera conſiderem: longior certè, quam vt per aerem trahi potuerit. Nam quęcumque ſub cælo phaſmata ſunt,& propter violentiam ignis deflagrant citò, ſemel accenſa; & propter inopiam alimenti ſubito deficiunt. An lentam dicent flammam, & viſcosâ atque compactâ materiâ impeditam? Sed flamma eſt, ingens eſt, ampliuſque poteſt,quam quicquid ingenioſe Peripatetici compingunt, & obijciunt. Obſeruat Plinius, lib.II.ca.XXV. *Breuiſſimum, quo cernuntur Cometæ ſpatium,ſeptem dierum annotatum eſſe;longiſſimum, octoginta.*

Et pone igitur, produci breuiſſimo ſpatio incendium: quæ pigritia longiſſimo ſufficiet? Non fruſtra Poeta-Aſtronomus, Peripateticis addictus lib. 1.

> *Et quia non ſolidum eſt corpus, ſed rara vagantur*
> *Principia aurarum, volucriq; ſimillima fumo:*
> *In breue viuit opus.*

Sed nec Plinio aſſentior, *octoginta dierum ſpatium longiſſimum eſſe:* Senecæ magis, qui, li. VII. Natur. quęſt. *Cometen ſex continuis menſibus à ſe viſum* ſcribit. niſi Pliniani numeri litterâ Centenariâ augendi ſint, ex ſententia & calculo Mureti. C enim LXXX. diebus ſex menſes abſoluuntur. In Nicephoro Gregorâ, lib. IV. Cometam leges à Solſtitio ad aequinoctium Autumnale ſine diebus CIII ſpectatum, qui Tauri ſigno hæreret, & ibidem euaneſceret: cùm interea tempo-

ris

ris Sol Cancrum, Leonẹm, Virginem percurriſſet. Alium Martinus polonus narrat tribus duraſſe menſibus, miræ & inuſitatæ magnitudinis, anno ∞ C C L X I V. Cælum igitur, non aerem Cometę occupant, moramque in cęlo trahunt, nunc breuiorem, nunc longiorem, prout aut viâ, aut motu diſtinguuntur, aut lumen retinent. In ſubſidium ſtabiliendæ magis cauſæ parallaxin examino & Aſtronomorum ingenio vtor. Parallaxis differentia aſpectus eſt, quo ſiderum ſitus inter ſe collatus, alia alijs altiora diſtinguit. Hæc quo maior rem quam inveſtigamus, humiliorem; quo minor, ſubliniorem notat. Exempli cauſâ: Sol interdum, & interdiu (hæc varietas cæli eſt) tumidæ interiectu nubis condi nobis ſolet, Arx & oppidum in imagine noctis deſtitui: Eodem ſępe intuitu,

tio notari diſcrimen potuit: notari autem debuit, ſi in aere ſidus conſtitiſſet.

PARADOXVM VIII.

Cæleſtem Cometam eſſe, Forma demonſtratum.

AD Formam nunc venio, quam variari Ariſtoteles cenſet, ὅπως ἂν τὸ ἀναθυμιώμενον τύχοι ἐσχηματισμένον, ἐὰν μὲν γὰρ πάντῃ Κομήτης, ἐὰν δ᾽ ἐπὶ μῆκος, καλεῖται πωγωνίας: *Prout educta exhalatio imaginem ceperit: ſi namq; vndique ſimilis fuerit, Cometes appellatur, ſi oblonga, Pogonias*. Totum ecce vel à Coma vel à Barba diſcrimen eſt: quod eouſque tamen diducunt nonnulli & diſpertiuntur, vt ipſa quoque nominum varietate terreant. Quicquid propemedum aer peccat, & æter oſtēdit, in appellationem Cometæ adoptatur. Talis Acōtias, Xiphias, Diſceus, Pithete,

Ceratias, Lampas, ſiue Lampadias, Hippeus Candidus, ſiue Argenteus, Hircus, & ſi qui alij. Hæc ordine nomina à Plinio explicata ſunt, quem repræſento, lib. 1. cap. xxv. *Acontiæ iaculi modo vibrantur, ocyſsimo ſignificatu. Eaſdem breuiores, & in mucronem faſtigiatas Xiphias vocauêre, quæ ſunt omnium pallidiſsimæ, & quodam gladij nitore, ac ſine vllis radijs: Quos Diſceus ſuo nomini ſimilis, colore autem electri, raros è margine emittit. Titbetes doliorum cernitur figurâ, in concauo fumidæ lucis. Ceratias cornu ſpeciem habet. Lampades ardentes imitantur faces: Hippeus equinas iubas, celerrimi motus, atque in orbem circa ſe euntes. Fit & Candidus Cometes argenteo crine, ita refulgens, vt vix contueri liceat, ſpecieque humanâ Dei effigiem in ſe oſtendens. Fiunt & Hirci, villorum ſpecie, & iubâ aliquâ circumdati. Semel adhuc iubæ effigies mutata in haſtam eſt.* Si

quis

quis Poetam æſtimet, iungat Manilium, Aſtronomum ſimul habiturus. Sed Philoſophus in hac Cometarum deſcriptione, Barbâ & Comâ contentus fuit Comam in Manilio depictam videas, lib. 1.

Flamma comas imitata volat, tenuiſq́; capillus
Diffuſos radijs ardẽtibus explicat ignes

Item Barbam:

Et globus ardentis ſequitur ſub imagine barbæ.

Idem hic carminis color ad alias deinde ſpecies & appellationes ſe extendit. Diffuſus quoque Plinius eſt, lib. II. cap. 15. verumtamen in deſcriptione præcipuè cometæ & Pogoniæ accuratus: *Cometas Græci vocant, noſtri Crinitas, horrentes crine ſanguineo, & comarum modo in vertice hiſpidas. Iidem Pogonias, quibus inferiore ex parte in ſpeciem barbæ longa promittitur iuba.* Seneca tertium genus adijcit li. VII. Natur. Quæſt.

Quãuis Graci diſcrimina fecerint eorũ, quibus iu morem barbæ flamma dependet, & eorum qui vndique circa ſe velut comam ſpargunt, & eorum quibus fuſus quidem eſt ignis, ſed in verticem tendens: tamen omnes iſti eiuſdem notæ ſunt, Cometæque rectè dicuntur. An eiuſdem tamen omnes notæ? non opinor, mox dicturus. Cometas omnes vocari, ſcriptorũ auctoritate manifeſtum eſt. Iterum Seneca, ex Epigenis ſententiâ, non agnoſcit niſi Cometam, & Pogoniam: *Duo Cometarum genera ſunt: alij ardorem vndique effundunt, nec locum mutãt: alij in vnam partem ignem vagum in modum comæ porrigunt, & ſtellas prætermeant.* Diuiſio ad rem facit: doctrina abit. Etenim non minus Cometam, quam Pogoniam moueri, ex Hiſtorijs notum eſt. Quemadmodum vero omnis etiã Pogonias Cometa eſt, ita vterq; Stellæ nomen ſortitur. Omnino

Stel

StellaCometa eſt; ſparſis in orbem radijs, velut capillis lucet. Et Stella Pogonias; globo, velut facie conſtat promiſſo lumine, velut barbâ. Tolle comam, barbámque, facies tamen erit: tolle radios, luminiſque ſyrma, ſtellam tamen nominabo. Sanè contendit Seneca à ſiderum conditione remouenda hæc ſpectacula non eſſe: licet illa rotunda ſint, hæc porrecta. *Quis enim tibi concedet*, inquit, lib. VII. Natur. Quęſt. *Cometas longos eſſe? quorum natura quidem, vt cæterorum ſiderum, globus eſt: cæterum fulgor extēditur: quemadmodum Sol radios ſuos longè lateq́ dimittit, cæterum ipſi alia eſt forma, alia ei quod ex ipſo fluit, lumini: ſic Cometarum corpus ipſum corrotundatur, ſplendor autem longior, quàm cæterorum ſiderum apparet. Quare? inquis. Dic tu mihi prius, quare Luna diſsimillimum Soli lumē accipiat, cum accipiat à Sole?*

quare modo rubeat, modò palleat? quare liuidus illi & ater color ſit, cùm à conſpectu Solis excluditur? Dic mihi quare omnes ſtellæ inter ſe diſſimilem habeant aliquatenus faciem, diuerſiſſimam Soli? Quomodo nihil prohibet, iſta ſidera eſſe, quamuis ſimilia nō ſint: ita nihil prohibet, Cometas æternos eſſe, & ſortis eiuſdem, cuius cætera, etiamſi faciem illis non habent ſimilem.

PARADOXVM IX.

Argumentum à Lumine, Magnitudine, Colore.

HÆc quidem ſiue Comæ, ſiue Barbæ imago, non flamma, non ignis eſt; ſed lumen. Eſſe enim in cælo lumen poteſt, flamma non poteſt; niſi picto, ſermone vtamur. Ariſtotelici rarioris docent materiæ defluxum eſſe, & incendij modo terminari. Sed quis hic modus? Fortuitus.

tuitus,& prorſus ſine modo. Si materiæ placet,ſi aeri,ſi caſui,circa globum ſuum fomitemque incendium ludens,nunc in dextrum ibit latus,nunc in ſiniſtrum, nunc aliter torquebitur.at vero Cometæ hanc inconſtantiam non admittunt. Totius iam ſæculi conſenſu ſcimus, promiſſos à globo radios,quacumque cœli conſtitutione,eâdem omnino lineâ à Sole tanquam ab origine auerti.Hic etiam noſter,tanquam ἡλιοσκόπιος, eodem quotidie ſitu conuolutus eſt, & in auctorem lucis faciem direxit, facem retrò ſpargens. Res mihi quoque di:ina examine viſa, & curioſâ inſpectione explorata. Etenim quotieſcunque Cometam luſtraui, quæſiui Solem, & quam dico luminis neceſſitatem deprehendi. Quid? Hiſtoriam inſpexi veterem, & exemplis (quantum quidem exprimitur)

primitur) obſeruatio mea confirmata eſt. Attámen facem nobis anni ∞ .IↃ.L X XVII. Brahæus explicans, Venerem Soli ſubſtituit & à molliori origine robuſtiores illos radios fuiſſe. Alij iudicent: non longo itinere a Sole Venus deflectit. Quicquid ſit, cæleſti luce globus Cometæ illuſtratur. Penetrat jubar, & vim quodammodo fractam transſfundit. Sic vſu obſeruamus, progredi vim luminis, ſed hebetatam, quotieſcumque corpore pellucido excepta, nec retinetur tota, nec tranſmittitur. Exemplum, vt volunt, etiam à Sole eſt, qui ſi in flammam incidat, radios adumbrabit. Cometes autem, nec materiam tam raram habet, vt permeare ſplendor Solis abſque impedimento poſſit; nec tam denſam, vt exceptum iubar reflectat. Hoc enim Lunæ, illud ſtellis conuenit. ſide-

ris

ris noſtri media natura eſt: vmbrã magis luminis, quam lumen emittit; lumen, tanquam vmbram. Ad vos redeo, qui Aerij eſtis, in aere Cometas conditis, imò incenditis. Obſecro flammæ naturam obliti eſtis, an Cometæ? In altum flammam natura ducit & erigit, adeóque Cleanthes, quia flammas eſſe ſtellas voluit, fecit Κωνοειδεῖς: deinde leuior rariorque Cometæ pars barbam facit, ſic quidem maximè ſubleuari apta, deprimi neſcia. Verum enimverò quicquid in radios extenſum hic videmus, obliquum eſt & in tranſverſum porrigitur; imò inclinato nonnunquam lumine deſcendit. Quia enim infra originem ſua in aliquando iacet, & ex alto illuſtratur; pendulum quoque iubar habet. infra Solem autem, Venerem

remque progredi,rurſumque trã‑ſcendere, ratio curſuum antea inſinuata,docet. De Lumine imo face ſic quidem ſatis; quã mirantur aliqui,non rectam interdum, ſed in cornu quodãmodo inflexam conſpici tanquam à naturæ ratione,Soliſq; origine alienam, Addo imo repeto: Comete radios, Cometæ vmbram videri,verum tenuiter illuſtratam:vmbrã autem à quadrato corpore aut rotundo nonniſi rectam diffundi. An dignus vindice hic nodus?

Fallunt nos oculi, vagiq; ſenſus,
Oppreſſa ratione,mentiuntur.

Res enim alioqui plana, vt Opticis placet. curvæ imaginem ſubit, quotieſcumque inæquali librata aſpectu, in obliquum inclinat. Sanè quia diverſo ſpatio gemina extremitatum puncta ab oculis remouentur, ſpecies imponit, & inflexum repræſentat

tat, quod directa ſiue linea, ſiue ſuperficie extenditur. Eadem in Cometis impoſtura eſt, eædem præſtigiæ: quippe quando extremi & deſinentis radij viciniores nobis, quam ipſe globus ſideris obliquari videntur. Viciniores autem quia ſuperior loco Planeta eſt, qui tranſmiſſo per Cometam lumine radios efficit. In noſtro igitur exigua etiam, non tamen continua curuatura quædam notata fuit: haud dubie ab eadem cauſa. Si quid aliud, proficiſci à formâ corporis, ſiue globi potuit. Quinetiam inter genera, & nomina Cometarum, vt diximus, *Ceratias* cenſetur, *cornu ſpeciem habens* (Plinij verba ſunt lib. II. cap. XXV.) *qualis fuit, cum Græcia apud Salamina depugnauit.* Magnitudinem inueſtigare, otioſum negotium eſt. Cogitemus radios eſſe: ſed longe maiores, qui ſine impedimento à Sole emittuntur

tur. Hic non partem cœli, ſed quicquid cælo continetur, occupat nullo clauſus termino, niſi quem vniuerſa rerum natura habet. De Cometâ tamen quæris? cum longiſſimus fuit, hemiſphærij ſemiſſem, aut paullo amplius occupauit: contractior, paullatim, quò vicinior Septemtrioni factus. Sed tota varietas ab ipſo Globo. Hic ſideribus fixis maior, inter Planetas maieſtatem quandam vultus ſeruauit. Vt ſcias idem corporis, vmbræque lumen fuiſſe, langueſcente globo, fax imminuta eſt, langueſcente face, globus. Tandem nudus, & in tenebras ſuas relapſus, aut eſſe, aut videri deſijt. Dicet aliquis: ſi à Sole hoc lumen, cur Solis Colorem non exhibet? imo cur rubet? cur pallet? cur liuet? E Senecâ reſpon-

ſponſum repero, lib. VII. Natural. Quæſt. *Dic tu mihi prius*, inquit, *quare Luna diſsimillimum Soli lumen accipiat, cùm accipiat à Sole? Quare modò rubeat? modò palleat? Quare liuidus illi & ater color ſit, cùm à conſpectu Solis excluditur? Dic mihi quare omnes ſtellæ inter ſe diſsimilem habeant aliquatenus faciem, diuerſiſsimam Soli?* Quotidiana iſta omnia, nec ſatis adhuc explorata ſunt: rara & inſolita cur curioſo nimis examine vexamus? Et tamen, ſi Dîs placet, à Lumine, & Magnitudine, imo à Colore tam incerto Diuinatio quoque ſumitur: quaſi ſanguineus Bellum, Liuidus Tabem, Pallidus Famem ſignificet: cum bello verò, tabe, fame, Mortem Regum Principumque. Meliora Deus! non tam veri, quam audaces Harioli erunt. Etenim ſi res tota ad calculum veniet, aut

ſeuerio-

ſeueriori acumine diſpungetur: cedent triſtia omina, læta ſuccedent: maiori cultu quam metu cælum intuebimur. Fiat; accingamur. Quia enim quid ſit Cometa, Vbi ſit, & Quomodo ſit, oſtendi; nunc An, & Quid ſignificet, diſputare conſtitui, vt qui hactenus occupauit hominum mentes terror, proſcribatur.

ERYCI PVTEANI

DE COMETA

ANNI ∞. IↃC. XVIII. Nouo Mundi Spectaculo, LIBER SECVNDVS

PARADOXVM I.

Erraſſe Scriptores, aut vulgi ſenſu locutos, qui Cometas Fatales cenſuêre. Lætum Luminis omen eſſe: triſte, Caliginis.

NEſcio profectò quo conſenſu in triſtiſſimam opinionem itum ſit. Quæ Admiranda ſunt, perverſa triſtitiæ dulcedo Timenda fecit. Ne vulgum accuſem, Viri olim prudentiâ & doctrinâ Clari, errorem ſuum profeſſi, dira

omnia & infauſta à Cometis deriuarũt. An philiſophos dicam? ſapere ſe putarunt, ſi terrerent. Facili v â ad alios deinde metus iuit, & quiſque minas tantum non religione confirmauit. Ergo & Oneirocritæ vaniſſima ſubtilitate infeſti eſſe cœperunt. Quid ſtultius? etiam ſomniari Cometen pro malorum prodigio habitum, quaſi ſatis in ſomnio videre, quicquid in cælo timendum eſſet; noceretque diuinitus ſiue Comæ ſiue Barbæ phaſma, etiam cum non eſſet. Artemidori verba ſunt, lib. II. cap. XXXVIII. Παρήλιοι δὲ καὶ δοκίδες, καὶ σέλας, καὶ οἱ λεγόμενοι κομῆται ἀστέρες, καὶ οἱ πωγωνίαι, τὰ αὐτὰ σημαίνουσιν, οἷα καὶ οἱ ὑπὲρ ἀέρα ὁραθέντες εἰώθασι ποιεῖν. *Parelij quidem, & trabes, & iubar, & ſtellæ quæ Crinitæ appellantur, item quæ Barbatæ, eadem ſignificant, quæ in aere conſpectæ, ſolent facere.* Poetæ paſſim non alijs mi-

nis vaticinia ſua implent. Hinc Virgil. Dirum appellat:

—— Nec diri toties arsêre Cometæ.

Et Sanguineum: *— Cometæ*
Sanguinei lugubre rubent.

Lucanus Timendum:

—— Crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem Regna
Cometen.

Silius Ferali Crine:

— Rubeſcentes ferali crine Cometas.

Alij aliter. Homerus τέρας, Portentum, ſiue Monſtrum:

Ἠ' ναύτῃσι τέρας, ἠὲ ςρατῷ εὐρεῖ λαῶν.
Λαμπρὸν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἀπὸ σπινθῆρες ἵενται.

Nauibus & nautis Monſtrum, caſtriſque timendum,
Luce micans variâ, radianti crine coruſcum.

Sed & grauior alibi ſic auctoritas peccat. Ciceronis, lib. II. De Nat. Deorum: *Stellæ, quas Græci Cometas, noſtri Crinitas vocant, nuper*

bello Octauiano, magnarum fuerunt calamitatum prænunciæ. Item Senecæ lib. VI. Natural. Quæſt. *Cometæ cruenti quidam, minacas, qui omen poſt ſe futuri ſanguinis ferunt*. Quid dicam? Oneirocritæ vani ſunt. Poetas furor excuſat & myſterium Carminis, quod aut fictis circumduci vaticinijs debet, aut Carmen eſſe deſinit. Cicero Seneca, & ſi qui alij, non ſuo, ſed vulgi ore, ac ſenſu loquuntur. Hiſtorici paſſim vulgo tribuunt quæ de Cometis dici ſolent. Aliud video telum, è ſacrarum Litterarum armamentario depromptum. Lucæ XXI. *Et erunt ſigna in Sole, & Lunâ, & Stellis.* Telum, non telum. Etenim Cometas hoc loci deſignari, adhuc non video. Erunt ſigna ſed noua ſed horrenda, & à Naturæ lege atque conſuetudine aliena, *Areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi.*

Nam

Nam virtutes cælorum mouebuntur. Quæ igitur ſigna? Alijs Euangeliſtis expreſſa: Matth. XXIV. Marc. XIII. *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælo.* Ecce non accendentur noua ſidera, ſed quæ lucent in caliginem non naturalem ibunt. Accedat Iſaiæ ſuffragium, cap. XIII. *Stellæ cæli, & ſplendor earum non expandet lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit lumine ſuo.* Regerere audeo, & cum Vate Ieremiâ clamare, cap. X. *Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ ſunt.* De tanto igitur miraculo benignius ſacra Scriptura; imo benignius Sapientia, benignius ipſa Antiquorum maieſtas iudicauit. Hinc quidem, qui poſt Iulij cædem Cometes apparuit, ſacratus ab Auguſto fuit, & in

ruerunt: quorum vnus(Senecæ verba ſunt l. vii. Natural. Quæſt.) *Cometis detraxit infamiam.* non fruſtra infamiam vocat. Nam profecto omni ſuſtinuit æuo innoxium ſidus quicquid pronus in ſuperſtitionem metus peccat: cumque ornamentum cæli eſſet malorum omnium velut τεκμήριον audijt. Ne accuſemus lumen: rebus lętis aſſignatum eſt. Iterum; ne accuſemus lumen; præeunte velut natura, gaudium omne igni, flamma, face, celebratur. Perſarum olim Religio nonne ſacrum ignem habuit? Apud Romanos, quæ Veſtalium cura, niſi vt perennem Imperij flammam cuſtodirent? Scilicet, profanum in Cælo noxiumque cenſebimus, quod in terra curioſa pietas conſecrauit? Cur vero præcipue Cometæ moleſti ſimus? quæcunque videmus & admiramur, ſummi

 Numinis

ſigo lucem; variari hæc humana diſcimus, in omni vitæ ſtatu læta triſtibus, triſtia lætis ſuccedere. Imò diſcimus, continuis naturæ miraculis humanos moneri animos, ne vel nimiâ ſe dilatent fiduciâ, vel terrore comprimantur. Nunc quæ aſſignari Cometis ſolent mala inſpicio, & amolior.

PARADOXVM II.

De Bello fusè diſputatum: id à Cometâ non portendi. Belli occaſione, cariſſima Patria mea VENLONA *Sereniſſimis Principibus commendata.*

ANte omnia, monente, & minante Manilio, lib. 1.

Sæui bella canunt ignes, ſubitoſq; tumultus,
Et clandeſtinis ſurgentia fraudibus arma.

Ita eſt: *Bella, horrida bella* clamant omnes, ſi Cometes affulſerit, vocem velut à cælo deriuantes. Cla-

mant, inquam, & ingemiſcunt, Cędem populis, Flammam agris vrbibuſque portendi. Cur cædem? an quia ſanguinis colore ſidus horret, aut feriali rubet crine? at hoc noſtrum pallidum magis, aut luteum aut ſubfuſcum eſt, & pigro velut lumine. Siquid tamen ſanguinis ſub initium fuit, mox elanguit, poſtquam è longinquo magis lumen Solis venit. Repeto, cur cædem? an quia crudele aliquod ſidus vires infudit? ſed tãtum adhuc Aſtrologis non damus. Ergo cur Flammam? an quia multo fumo radij videntur commiſceri? ſcilicet *Flamma fumo proxima eſt.* Sed tolle fumum, tolle flammam; in Cometa nonniſi lumen eſt. Nequid hîc peculiare putes: vbique incendij colorem materia variat, nunc puro liquidoque igni, nunc impedito, nec ſincero. Et ab igni incendium, ſi fatale

fatale voles, remouebo. Subiectam cælo regionem videmus vario & modo, & loco ardere: ſed nullam in terrâ exuſtionem ſequi. Videmus cauo velut hiatu Chaſmata, vaſto & rotundo ignis dolio Pythias ardentes inquam minas; ſed naturali neceſſitate excuſari. Nunc adeſte pauidi, audite: vt indulgeam terris ærumnam, ſubſcriptum timori veſtro eo. Bella, & bellorum ærumnas canant, aut non canant ignes; bella ingruunt, ſine quibus genus humanum numquam fuit, numquam erit. Tolle Cometam: in ſe tamen mutuo mortales ſæuient, & mitiſſimum quod poſſident nomen violabunt. Hactenus enim vt ſanguinem funderent, cruentum cœli ſignum non exſpectârunt. Collidi bello, tam propemodum humanum eſt, quam Martiale: quo furore paſſim

ruunt populi & quaſi ad feritatem nati, ob cauſſas non cauſſas perire malunt quam non pugnare. Sic & crudelitas in gloriam olim verſa: hauſiſſe ſanguinem, decus fuit: quaſi per ſtragem, & cædem virtus inclareſceret. Quæ virtus? dira fœda, & ab omni humanitate aliena. Si licet dicere, maluerũt aliquæ genteſſine patriâ quã ſine hoſte viuere: ſine Lare, quã ſine Marte. Aliquæ, tãquam pace & felicitate ignauæ, bellum ſemper, iure, ſiue iniuria, prouocarunt. Tantum partim ab ambitione, partim ab auaritia malum fuit, aut ab aſſueta violentiæ naturâ. Barbaros minus tamen accuſo: ideo Barbari ſunt. Græci & Romani imprimis reprehenſione digni: quia meliori vitæ cultu miteſcere potuerunt. Aſiatici admiratione: quia luxu mollitieque diffluentes, toties arma induerint.

Græci

Græci igitur quando vnquam quieti? continuis colliſi bellis, non terram modo ſuam, ſed & mare crudelitate impleuerunt. Vt infeliciſſimi eſſent, tantum Cometæ deerant. Romani vero non Vrbe, non Italiâ contenti, Orbi terrarum graues fuere. Petronius:

Siqua foret tellus, quæ fuluum mitteret aurum,
Hoſtis erat, fatisq; in triſtia bella paratis
Quærebantur opes.

Laſſus tandem alieno cruore victor populus, ciuili ſe aſperſit, mutuoque ſcelere, quantum minari cælum potuiſſet, auſus eſt. Vnius Vrbis fatum, Orbis putes. Nam & Europa & Africa, & Aſia vnius populi iugum ferre coactæ ſunt. Quicquid legimus, cædes & ruinę ſunt, & ſine ferijs furor. Ita me Deus, vnius Martis

numen omniũ religione cultum putes. cum hominibus cœpiſſe bella, ac durare. Verumenimvero Septentrionem noſtrum magis miror, & nationes ſub frigidis aſtris continua rabie incēdi, quippe Annalium noſtrorum memoria vbique funeſta eſt. Si qua etiam ex interuallo quies, ſi quod otium, ad maiorem quaſi cladem fuit. Hic igitur cælo fidem ardenti habeo; *ipſa tulit bellum, natura per ignes,* pacem quidem his aliquot annis aut pacis bona intelligere, ſub optimis Sereniſſimiſque Principibus, Belgæ cœperunt: ſed an rurſus faſtidire? Quid dicam? interdum & felicitas ipſa moleſta eſt. Quod ſi etiam poſita ſemel placebunt arma, calamitates publicas non Sideri, ſed hoſti imputabímus, belli onera tam ſtrenuè laturi. quã ibenter quieuimus, Vt ſic loquar,
mei

mei me imprimis Ciues, mea me, in quâ natus & educatus ſum VENLONA monet. O pulchrum ſitu, pulchrius fide & conſtantia, oppidum! ſed non ſatis ornatum niſi & tutum ſit. Hei! deficit, & patet quà oppugnari olim ſolet, ab amne nuper, tanquam nouo, perenni tamen hoſte deformatũ. Inſtaurari damna poſſe pericula arceri: egregio cœptum molimine munimentum oſtendit. Cœptum vtinam feliciter, & ex voto mox abſoluendum! Quia animos vrbis vires nõ ſequuntur,

— Pendent opera interrupta, minæque
Ingentes murorum.

Vos ſuccurrite Sereniſſimi Potentiſſimique Principes, & iuuate in vna vrbe Prouincia tota munietur Sic adiuti & propugnaculi muro cincti Ciues, quem ſæpius pectoribus repulerunt hoſtem, deinceps non ti-

mebunt: ſic quoque, ſi bellum ingruat, diſcrimen vrgeat, ſtare, pugnare, imo mori pro patriâ, & Principibus, ſuaue erit. Interim hoc iam exploratum eſt, noſtram pacem alieno bello conſtare; noſtrum bellum alienâ pace, Ecce quamdiu pugnauimus, alibi ceſſarunt arma; poſtquam quieuimus, alibi pugnatum eſt. Tranquilliori quidem alea reſederunt Cliuenſium nuper, & Iuliacenſium res, diuiſæ magis quam compoſitæ, bene, ſi non funeſtius aliquando erupturæ. Cauſſa tamen ad arma venit, omneſque pæne Chriſtiani Orbis Principes in partes traxit, Suecum etiam Danumque grauis contentio miſcuit, licet non diuturna. Gallia non vnâ ſeditione arſit, vt addictior Regi ſuo eſſet. Brunſuicenſes obſeſſi, & liberati ſunt. Sileo bellum Allobrogicum, maiori per-

pertinacia, quam cauſa geſtum. Sileo Bohemicum, cœptum priuſquam Cometes emerſit. In aliis Orbis partibus concurrerunt: maximę ſæpe acies, exercitus deleti ſunt, vrbes expugnatæ: & nos nunc tamen homines bellum timemus, quaſi nullum fuiſſet: Cometem timemus, quaſi pacis hoſtem. Hæc mortalium conſuetudo eſt: notant mala, quando ſigna præcedunt: His deſtituti, pati malunt, quam conqueri. Non certe quia Cometæ fulgent, ſequuntur bella, ſed quia ſequuntur bella, Cometis aſſignantur. Talis olim calamitas Peloponneſiaca, per annos XXVIII. pertinaci armorum furore tracta: ſcilicet, quia cruentum eiuſmodi lumen & minax ſeptuaginta quinque dies poſt Solis occaſum arſerat. Talis Athenienſium, primum in Sicilia, deinde ad

Chæroneam clades; quia vtramque Cometes præceſſerat, alter Septentrionali cęli parte, alter circa Æquinoctialem viſus. Tale Carthaginis fatum & incēdium: quia pauloantè totos triginta duos dies hic in cœlo ignis fulſerat: Tale Pompeij & Cæſaris bellum: quia vt Plinius appellat *terrificum magnâ ex parte Sidus, ac non leuiter piatum* ſe oſtenderat. Cum Petronio dicam:

Fax ſtellis comitata nouis incendia duxit.

Ita me Deus, poſt euentum vires denunciatio accepit. Quid opus eſt verbis? Non Cometæ bella, ſed bella Cometas infamârunt. Si quis etiam Hiſtoriæ calculum ponat, plura ſane in omni Antiquitate bella, quam Cometas inueniet. Sed tædet exemplorum, quibus tenuiſſimæ etiam ſcriptiones extenduntur hodie, plerumque tamen à proprietate argumenti alienis. Noſter labor fuere

mauult,quam turgere : à fonte, quam confluge creſcere. Ad rem igitur: imo ad hæc noſtra tempora,tanquam frequentioribus ſignis,maliſque obnoxia , plenis & curioſis rerum cæleſtium obſeruationibus nobilitata. Expletum quidem nuper ſeculum decimumquinctum viceni circiter Cometæ perterruerunt: ſed profectò difficiliori adhuc calculo clades computentur Deſunt igitur? imò verò , vt liberius omni cœlum culpâ liberem,ſuperſunt. Quicquid illud fuit temporis,nil niſi bellum fuit,adeoque tot meritò Cometis notandum,quot anni numerantur. Neſcio verò cur vnum hoc potiſſimum Sidus ſanguine inficimus?ab hoc vno ſpectaculo crudelitatem deriuamus? Sol iſte qui lucet, & pleraque interdum aſtra rubent:imo tonitru, & fulmen , belli nomina ſunt.

Poſſis eâdem ſæuitiæ imagine nubes, ventos, tempeſtates & quicquid in rerum naturâ pugnat, profanare. Sed in omnibus meticuloſa ſuperſtitio ludit: & quia non deſunt qui terreri amant, inueniuntur qui terrent. Vt nihil prorſus non Martiale ſit; & Solis defectum, & Lunæ laborem ad præliorum infelicitatem ignaui referunt. ſic percelli imperitorum mentes ſolent; & qui error eſt, adiectione litterulæ terror efficitur. Itaque parum erat, ignorare cæli cauſas, niſi & formido accederet; niſi, quia deerat fortunæ iniuria, naſceretur. Cautiores tamen olim Ægyptij vates, qui in concionem ab Alexandro adducti vt pauidum fœdo prodigio exercitum erigerent, mentiti ſunt. Namque cum è ſtatis Orbium vicibus ſcirent, Solem interuentu Lunæ abſcondi, Lunam

vm-

vmbrâ terræ hebetari, rudes cœleſtium animos decipere maluerunt, quam docere. *Solem,* aiunt (ita Curtius lib. IV.) *Græcorum, Lunam eſſe Perſarum: quoties illa deficiat, ruinam ſtragemq́ illis Gentibus portendi.* De bello ſatis; Peſtis ſequitur, imò adhæret: quo nunc ordine fatales minæ extendentur.

PARADOXVM III.

De Peſtilentiâ: huius non Cauſſam, nec Signum Cometam eſſe.

PErgam eiuſdem Vatis ore loqui:

Et grauibus morbis, & lentâ corpora tabe
Corripit exuſtis lethalis flamma medullis,
Tabenteſq́ rapit populos, totaſq́ per vrbes
Publica ſuccenſis peraguntur fata ſepulchris.

Triſte hoc, ſed tamen populare va-

que, non cælo Apollinis tela ſunt: hoc innoxium eſt, à Cauſsâ tanti mali, nec minùs á Signo remotum. Vt bellum non denunciatur Cometâ: ita nec Contagio. Sæpius enim peſtilentia ſæuijt, nec moniti hoc Signo mortales fuerunt. Deinde ceſſent Signa; moneri Vaticinijs poterunt, Sic Deus olim, vt Sacræ teſtantur Litteræ, Regi Dauidi tergeminam calamitatem denunciaturus, non Cometam, ſed Prophetam miſit. Immiſit peſtem, ſed tanquam à cœlo non profluentem. Hæc pœna luſtrati ſuperbè populi fuit. Rex etiam, quia in pectoris penetrali Signum inuenerat, timere pœnam cœpit, priuſquam moneretur. Ad Aerem tranſeo, etſi ab argumento alienum. In Aere enim etſi concedam Cometam eſſe; Signum eſſe, aut Cauſſam nego. Et de Signo quidem controuerſia

ſia non erit. Nam quia à Cælo exultat, infra Cælum non conſiſtet, melius Aere atque ſanctius. *Erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis.* Si licet dicere Signum Dei vox eſt: Deus, vt homines moneat & potentiam oſtendat, Cælo, non Elemento loquitur: & qui in Cælo, vbique ſanè præſens eſt: vbique tanquam coràm auditur. Cauſſa reliqua eſt, quã pari ſpongiâ deleo. Noſtri plerique vel ad Cometam peſtem referunt, vel ad peſtem Cometam; ſatis rati, ab Aere malum deriuari. Ita quicquid elementum peccat, ſideris, vt ſic nunc appellem, imago ſuſtinet, & paſſim accuſatur. Neque nouus hic error: ab antiquis venit. Hinc grauiſſimam illam Athenienſium peſtem, ab Hiſtoricis, ſed præcipuè à Thucydide deſcriptam, lib. II. dignam Manilius cenſuit, quâ precipue innoxium ſidus

dus traduceret, lib. I.

Qualis Erechtheos peſtis populata colonos
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cùm fata ruebant.
Nec locus artis erat Medicæ, nec vota valebant.
Ceſſerat officium morbis, & funera deerant
Mortibus, & lacrymæ: feſſus defecerat ignis,
Et coaceruatis ardebant corpora membris.

Vt hæc Poetę verba ſunt, nihil iam dixiſſe Hiſtoricus videtur; nihil Ouidius, qui lib. VII. Metamorph. peſtilentiam Oenopiorum deſcribens, Hiſtoricum expreſſit: nihil Lucretius, qui extremo lib. VI. aliquot paginis Thucydidem egit: nihil oraculum Apollinis dubio ſenſu acceptum:

H'ξει

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ.

In quo verſu λοιμὸς, an λιμὸς notaretur, diſtingui non potuit. Quod ad Thucydidem: fuſè admodum ſæuiſſimam tabem explicat; nullam tamen mentionem Cometæ facit. Non quia ille non fuit: ſed quia ab omni Cauſſâ mali, atque Signo alienus. Nos vero ad rationes nunc veniamus. Peſtis, aiunt, ab aeris intemperie eſt: hæc à ſicco & venenoſo halitu, quem in locis præſertim paluſtribus & vliginoſis humor ad fæcem ſiccatus exſpirat. Atqui ex halitu etiam Cometæ, Solis radijs in altum educto. Cogi autem paullatim hanc materiam, velut effumantem & in molem continuo denſari incremento, donec ſubacta & velut cocta incendatur. Quid dicam? poſt hęc omnia, vel ſuperſunt halitus, vel aſſumuntur

tur & abſumuntur omnes. Su-
pereſſe, mirum ſit, ſi magnitudinẽ
Cometæ, & molem expendam:
rurſus, abſumi mirum, ſi reliquã
aeris terræque naturam conſide-
rem. Breuiter: vnde ventorum
vis, quæ, vt Ariſtoteli placet, ſe-
qui Cometas ſolet & ab halitibus
proficiſci? Superſunt igitur. cum
abſumi neceſſum ſit: & ſparſi aut
relicti induunt aeri vitium, priuſ-
quam terrere Cometa incipiat. I-
mo conſumuntur, cum ſupereſſe
dixeris: & quia flammam ſubeunt,
expurgantur, adeoque prius no-
cere deſinunt, quam eſſe. Ad ſum-
mam: corrumpi aer poteſt, Co-
meta verò non naſci: quid niſi vt
credas, naſci Cometam, aerem
vero non corrumpi? Interdum à
terrâ vitium eſſe cauſſamque ma-
li, Seneca, docet: lib. VI. Natural.
Quæſt. *Aer ipſe, qui vel terrarum cul-
pâ, vel pigritiâ & æternâ nocte torpeſcit,*
grauis

grauis haurientibus eſt: corruptus internorum ignium vitio, cum eſt lōgo ſitu emiſſus, purum hunc liquidumq; maculat ac polluit, inſuetumq; ducentibus ſpiritum affert noua genera morborum. Ridiculum mehercule Manilij ab igni argumentum eſt, lib. 1.

Funera cum facibus veniunt, terriſque minantur
Ardentes ſine fine rogos.

Scilicet extremum pietatis officium niſi olim rogus abſoluiſſet, accenſus in aere ignis accuſari non poterat. Nihil igitur ad eos pertinuit, nihil pertinet, qui ſpoliata ſpiritu corpora terræ malunt, quam flammæ mandare, qui ſine pyrâ ſepulchrum habent. quia enim ab ardentis Cometæ ſimilitudine funera & feralia abſunt, ab omni tabe remoti ſunt; & quia cineribus non debent corpora, non videntur poſſe mori.

PA-

PARADOXVM IV.

De Fame, aliiſq; malis: hæc quomodocumque referas, perperam ad Cometam referri.

ETiam Fame infame ſidus eſt & poetæ ſcilicet furore dignũ:

Numquam fata libus excanduit ignibus æther.
Squallidaq; eluſi deplorant arua coloni,
Et ſteriles inter ſulcos defeſſus arator
Ad iuga mœrentes cogit fruſtrata iuuencos.

Adeone igitur aut infelix, aut infeſtus Cometa, vt generari nequeat, niſi cum telluris damno? Hanc ſucco ſuo, & quodammodo vitâ ſpoliari volunt, quoties voraci ſcilicet portento aer incenditur: voluntquicquid magnæ matri ineſt ſpiritus, quicquid vigoris, in circumfuſum elementum extrahi, imo conſumi. Hinc caſſo labore & inuerti ab agricolis ſolum, & ſemen ſpargi, & annum

impendi. Volunt etiam Phaetontis fabulam cælique decantatum incendium ad Cometam referri: vaſtum illum aliquem, & ſæui ignis, qui tanquam Sol alter, ſed diſſolutus, Orbem terrarum vſſerit, & fœcunditate omni ſpoliârit. Ouidij quoque verba, lib. 11. Metamorph. non aliena videri:

Ambuſtaq́, nubila fumant:
Corripitur flammis, vt quæque altiſsima tellus,
Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis:
Pabula caneſcunt, cum frondibus vritur arbor,
Materiamq́, ſuo præbet ſeges arida damno

Sed obſecro, ſolidáne iſta rationum pondera ſunt? Profectò adeſt ſterilitas, vbi & Bellum, & Peſtis ſæuiunt: vbi aut deſeruntur agri, aut vaſtantur. Hominum hæc flagitia ſunt, non Cometæ: quippe

pe ab hoſte malumus, quam à terrâ victum exigere, ſanguine, quam labore vitam tolerare. Alibi quoque ruri propitius Cometa fuit, quia populis (vt id iam concedam) nocuit: ſubtraxit ſuccum, vt cruorem redderet; & colliſit fato acies, vt felicius fruges alerentur. Sed, quod aiunt, eductâ velut fœcunditate vterum terræ retardari, fruſtra ſunt. Etenim naſcatur, alatur, duret Cometes: homines tamen annonam inuenient; alienum conſumat pabulum, alieno ſucco viuat; agri tamen, propitio Solis aſtro, Lunæ, Veneris, ſibi & naturæ ſufficient, amplius quam largiuntur cælo, à cælo accepturi. Colendi interim, & continno ad fertilitatem ſudore cogendi ſunt, ne aut ſigni metu, aut timido otio mereamur mala, de quibus præmaturæ querelæ ſunt. Sanè & ip-

ipſa vices ſuas terra habet, impar fœcunditati, niſi ex interuallo ſterileſcat. Quia nulla continua vbertas eſt, quædam poſt laſſitudinem ignauia excuſatur. Deſinamus igitur pari lege annos omnes vrgere: ceſſat interdum copia, vt vires ſumat; & deficit, vt pleniori exuberet cornu, & ſpargatur. Sed quid eſt? plenus non erat terror, niſi & agricolas concuteret: nec poterant grauiori calamitate omnes omnino homines premi, quàm vt innocentiſſimi affligerentur. Hæc profectò quædam ſine morbo peſtis eſt, quædam ſine bello ſtrages, & à naturæ magis neceſſitate, quam ab incendio aeris, vel cœli Sidere dependet. Abſit metus, ſpes ſuccedat: Felicem iam audebo annum promittere, & copioſam annonam: exhalat terra & exſpirat quicquid noxium, & velut aduſtum longior tem-

porismora collegit. Vegetiorem quidni putem quam purgari cerno: quemadmodum & corpora humana è grauedine & torpore videntur exſurgere, quibus vel artis ſubſidio per ſectam venam ſanguis abundans educitur, vel naturæ impulſu per narium, alioſque corporis meatus effluit. Quod in Microcoſmo fieri ſolet, etiam in ipſo Coſmo: prouidit Deus, vt modo ſuo & ordine rerum Vniuerſitas duraret; nequid in commercio elementorum & pugnâ, aut ſupereſſet, aut deficeret. Sed quorſum hæc omnia? controuerſiæ ſopiendæ ſatis erat: In cœlo Cometã eſſe. Reliquę iam ærumnę viliores, quam vt in examen veniant. Nam alibi aut ventum cieri aeriſque fluctus impelli, aut amnem inundare, aut mare extolli, aut tempeſtatem ſæuire, tã familiare eſt, vt Signa & Cauſſæ negligantur. Incendium

 vero,

verò, Ruina, Naufragium, & ſi quid eiuſmodi, à caſu, non à Sidere ſunt, & vel oſtento minora vel majora præſagio, ſupra hominem, infra Deũ collocata. Naufragium à vento: incendium, quod miſerrimum, ab hoſte eſt: quem vtrumque Claudianus junxit, lib. 1. de Raptu:

Præceps ſanguineo delabitur igne Cometes,
Prodigiale rubens: non illum nauita tuto,
Non impunè vident populi: ſed crine minaci
Nunciat aut ratibus ventos, aut vrbibus hoſtes.

Quid dicam? nunciat, & fallit: ſecuri ſumus. Has tamen ad ſe quoq; ſpectare minas Io. PVTEANVS Frater meus, cùm hìc mihi adeſſet nuper, arbitratus eſt, animi ad virtutem compoſiti Iuuenis, & vt breuiter laudetur, Patrem non minus

minùs ingenio, quàm nomine exprimens, Arbitratus, inquam, & ne fruſtra in Parnaſſo eſſet, elegidio iſto, velut Muſarum amuleto, auerruncauit,

QVis nouus à cœlo mentem mihi corripit ignis?
In Stellâ ardorem ſentio, Phœbe, tuum.
Sed meæ ſollicitis ceſſerunt Otia Curis:
Phœbum deſerui, Mecuriumq́, colo.
Hic docet extenſam trabium compagine claſſem
Ducere, labentes quà Moſa voluit aquas.
Vectorum patiens ratis eſt, & vimine torto
Per vitream ſerpunt ligna iugata viam.
Sic ego non magno vaſtas traho flumine ſiluas:
Nauigo (num credas?) ſed ſine naue feror.
Nauigo, quis rabiem, quis diri leniet ignem

 Sid-

Cometes, ſed poſtquam fulſerat, perierunt. An violentia aquarum ignota eſt? In eâdem Antiquitate, ſcribente Plinio, libr. II. cap. XCII. *Pyrrham & Antiſſam circa Mæotin pontus abſtulit. Ex inſulâ Ceâ amplius triginta millia paſſuum abrupta ſubito, cùm plurimis mortalium rapuit. Et in Siciliâ dimidiam Tyndarida vrbem, ac quicquid ab Italiâ deeſt.* Sed an vllus hîc Cometa accuſatur? Iunge alia, ac recentia terræ vulnera, miſerrimum illud quoque nuper Rhætorum oppidum, vnà cum omnibus incolis, ſubito montium ſuorum onere obrutum ſepultumque, & nullam in Crinito culpam ſidere inuenies, nulla in ſignum cladis fax luxit, nulla incenſa eſt. Obijcere Carthaginis fatum; & Corinthi, tanquam eximium ſolent. Sed obijcere: quia enim vnius alteriuſue, certè paucarum vrbium, rarum exemplum

 eſt.

eſt,à neceſſitate remouetur. De alienis quidem malis ego: de meis fortaſſis alij. Quid enim? Iam PARADOXORVM hos libellos ſcripſeram, & graui admodum morbo correptus ſum. Illum igitur ipſum ab infeſtis Cometæ radijs influxiſſe, Elegantiſſimus Epigrammatum Scriptor BERNARDVS BAVHVSIVS ludere voluit: dignus eâ Societatè Vir, quæ doctrinæ & pietatis laude Orbem terrarum impleuit. Impleuit ipſe, & ingenium ſuum iam publicum fecit; ingenio doctrinam & pietatem. Talem vero Amicum mihi, talem Orbi Poetam gratulor. Hic etiam quà Morbum meum ſcribit, Amicus eſt; quà Sidus, Poeta. Ego Verſus, vel præ Sidere videndos, repræſento.

EVâſti, PVTEANE, ipſoque à limine lethi,

Ianua-

Ianuaq; nigrâ pedem redûxti.
Icit, non vicit, qui te malus Ignis ab alto
Læſerat radiantis Os Cometæ.
Qui nuper ſtellantem Arcton violauit, & Auſtrum,
Monſtroſâ face territans Booten:
Cum trabe flammatâ, tot formoſiſsima, ſolus
Formidabilis iret inter Aſtra,
Numinis irati, vt credunt, dirumq; minantis
Rubens, virgifer, enſifer Satelles.
Ergò triſte Iubar ſuſpenſum terruit Orbem,
Et Belgis rapuit roſas ab ore;
Pallenti violâ nos tingēs: me quoq; rugâ
Arauit dupliciq;, tripliciq;,
Dum tibi ſupremum lapidem, mœſtamq; Cupreſſum,
Vrnamq; oſsilegam audio parari.
Fors, mala ſi tabes te exſanguibus adderet Vmbris.
At (charum ô Superis caput!)
COMETAM.

Luctantem tecum potuiſti vincere quando
TV NON OCCIDIS, OCCIDIT COMETA.

Euaſi verò Clariſſime BAVHVSI; & reduxi pedem, quamuis tardum & ſufflaminatum: neque enim ille adhuc ſum, qui fui; ſed nec fui vnquam, quem à ſolido robore laudares. Nunc etiam, quia languori obnoxius, tanquam ægrotem, valeo; & ægroto, tanquam valeam. Vici tamen luctantem mecum, non Cometam, ſed morbum: niſi & hunc Cometen dicas. Cæterum ſi hoc tempore nemini licet ægroto eſſe, niſi cum cœli infamiâ; accuſa, quicquid eſt ſiderum, & portentorum, omnemque Muſarum fauorem in furorem verte: ecce ille Magnus, & extra humani ingenij aleam poſitus CAROLVS SCRIBANIVS, Societatis veſtræ per hanc Prouinciam Præfectus: ille

ille, cui ne quidem in tanto munere ęgrotare vacat, acri morbo impeditus iacuit: etſi ne ſic quidem impeditus. Accuſa denuo quicquid eſt ſiderum, & portentorum: ecce ille Doctus, & ſcientiarum omnium quoddam quaſi oraculum: ille modeſtâ ſuauitate, & ſuaui modeſtiâ cęleſtis imaginem naturę gerens, LEONARDVS LESSIVS, inſolita tentatus ægritudine, injuriam doloris ſuſtinuit, cum temperatiſſimæ vitæ regulam, innocentiamque, non minus exemplo, quam calamo nobilitaſſet. Bene tamen eſt: viuit vterque: Cometa vero occidit: ad priſtinam vterque valetudinem rediit: Cometæ Fatales illæ vires detractæ ſunt.

PARADOXVM V.

Vanas & fallentes Interpretum minas eſſe, quæ in Reges, & Regna diriguntur.

MItto iſta, & procurrentem

tem porrò argumenti lineam ſequor. Neque enim his duntaxat finibus præſagus, Genethliacorum præſertim, furor ſtetit, ſed in reges quoque, & regna erupit; non tam vanus, ſed profanus. A Deo Sceptra ſunt: in Deum nefarius, quiſquis ſceptra violat; alius (fierine poteſt?) ferro; alius, vt mitius ſæuiat, lingua, aut calamo: Diuinus autem ſeu Prognoſtes cælo. Quid dicam? ſidus tanquam ſcelus fit, & innocentiſſimus Cometa, nunc *Regnorũ euerſor*, nunc *Mutans Regna*, nunc aliter nuncupatur. ſic vero à fatali hoc igni non vni Principi, diem, vt ſic dicam, dictum eſſe volunt. An recenſeo? Claudio olim Imperatori, Conſtantino, Valentiniano Primo, Carolo Magno, Ludouico Secundo, Henrico Quarto, Alberto Primo: ſi ad non Imperatores extendere quoque ſeriem lu-

iubet, Ioanni Galeatio Mediolanenſium Principi; Carolo Audaci noſtro, Philippo Pulchro, pluribuſque nupera Hiſtoria celebratis. Femina Regina hoc agmen claudat: Cleopatra eſt, digna ſcilicet prodigio: vt non minus mors, quam vita clara fuit. Pręfulſiſſe Cometam, in Dione lego, lib. LI. ſed ipſi ſimul Ægypto fatalem, tanquam in ſeruitutem redigendæ. Veſpaſianum omiſeram, qui vaniſſimum oſtentum jocoſa interpretatione repulit & eluſit. Decumbenti aderant amici, ſtellamque in cælo Crinitam apparere nunciant: ille nequaquam territus, *Crinitam*, inquit, *Rex Parthorum timeat, qui crinitus eſt*. In Dione caluitiæ jocus extenditur, lib. LXVI. Ἐκεῖνος γὰρ κομᾶ, ἐγὼ φαλακρός εἰμι: *Ille. n. comatus, ego verò caluus ſum*: Mos gentis illius erat (an bar-

barbarus ?) barbam comamque paſcere ;vt ſic quidem ſolo vocabulo prodigium conſtiterit; ſed à Romano, & Imperatore rejectum. Quid ſi etiam ſideris ipſius capilli peculiari ſimilitudine Parthi, apellati? Manilium ſic fortaſſis toleres. lib. I.

Parthoſque capillos
Mentitur paruos ignis glomeratus in orbes.

Nam *paruoſque* hic communiter legunt. Vt ut eſt, mentitur ignis, quoties Sceptris dirus denunciatur; niſi prorſus ad omnes omnino comatos pertinere Cometen dixeris. Sint ingenioſi, quantum velint Harioli, tutus mihi Princeps erit. Etenim ſi audaci pergent acumine moleſti eſſe, nouaculam illi opponet, tonſoris beneficio vaniſſimę artis minas euaſurus. An clarius? impendet capillos, ne prodigio obnoxius ſit.

Siquis

Siquis vero erit, cui onera & impedimenta capitis maturo defectu natura amolita eſt; reſponſum Veſpaſiani vſurpabit. Luſum hunc ſanè dices; ſed interim nulla feſtiuitate vim fatalem impediri. Reiectum à Veſpaſiano prodigij magis nomen, quam omen: illum enim paulo pòſt interijſſe. Quid dicam? interierunt alij, tot inquam Cæſares, Reges, Principes, quot iam nominati non ſunt; nullo tamen ſidere moniti: caſum cur in ſignum commutamus? Ad ſummos me Pontifices fortaſſe quiſpiam ducet; inter alios Vrbanum IV. oſtendet, quem Martinus Polonus, lib IV Chronologiæ ſuæ, incidiſſe in morbũ ſcribit, *eo ipſo die, quo Cometa primũ viſus eſt; ac deinde trib. interiectis menſibus, eo ipſo die extinctum, quo Cometa diſparuit.* Vertamus ſententiæ commata; & cauſa, niſi fallor, liquebit:

Quo

Quo die Cometes primum viſus eſt, in morbum Pontificem incidiſſe: quippe territum: quo diſparuit, extinctum: quia magis territum, & prodigio quaſi completo. Sic morbum & mortem non ſtella, ſed formido intulit: & tam prauiter affici potuit, qui fatale ſibi prodigium arbitratus. Si verum placet, nihil hic eſt; imo fortaſſis in reliqua natura eſt, quæ à Cometa remouetur. Hinc ſane fallax obſeruatio eſt, quæ à fortuito paucorum exemplorum conſenſu neceſſitatem ducit: fallax, quæ pari omnia lege premit. quia quod aliter fieri potuit, aliquoties videmus contigiſſe. Si quis cum terra cælum componat cum ſideribus principes: ſine funere Cometas pleroſque inueniet pleraq; ſine Cometis funera. Obſecro quis luctus Annum ∞. ıↄ. LXXVII. nobilitauit? & tamen ſtella tum Crinita miræ magnitudinis

nis illuxit. quis alia memoriæ noſtræ tempora; quibus nouo homines lumine cælum ſtupeſcit ſeuere potuerunt Principes, & ſtellæ naſci, imo quia hæ natæ erant, mori illi, niſi ſeris tandem annis, non debuerunt, Natæ, vt vitæ velut notæ eſſent, terriſque felicitatem promitterent. deo enim flãmæ ſunt, ideo radijs aut circumfuſæ, aut extenſæ. Quod ſi ferales tamen aut cruentę,: cur omnium mortem Principum ab eodem ſigno non diſcimus? cur non maximorum? An ante omnes maximoſque, vt de Cæſaribus jam agam, vnus aliquis Veſpaſianus? In tota illa ſerie plures profectò, imo præcipui ſine cæleſti hac face extincti. In Iulij morte ignauum ſidus fuit: ſecutum eſt, ac celebrante demũ ludos Octauiano *per ſeptẽ dies* (verba Auguſti apud Plinium

lib.

lib.II.cap.XXV. *in regione cæli, quæ ſub Septentrionibus eſt, conſpectum.* Hic ipſe Auguſtus, Conditor Imperij, ſine ſtella ad cælum, & inter Diuos venit. Scilicet moriturum ſatis & ætas, & valetudo deficiens indicabant. Iunge Tiberij, Caligulæ, Neronis, aliorumque fatum, & Cometas quære. Tanti fortaſſis non fuerunt, vt prodigio notarentur: prodigia ipſi erant. Sed de his ſileamus. Quis melior Traiano? quis ſapientior Aurelio? quis religioſior Theodoſio? Cometa caruerunt. Ipſe Alexander magnus, qui in terrâ Iouis credi filius voluit, nullum in cælo ſidus inuenit. Ecce tanquam priuatus obijt, imo ſi Cometa magnitudinem facit, ſine prodigio paruus. Sibi ſignum, imo Orbi terrarum fuit: ſed triſte, dirum, funeſtum: quemadmodum à Lucano appellatur, lib.X.

Ter-

Terrarum fatale malum, fulmenque, quod omneis
Percurret pariter populos, & ſiduss iniquum Gentibus.

Neſcio an acriora Senecæ verba, qui filio patrem iungens, lib. III. Natural. Quæſt. *Exitio,* inquit, *gentium clari, non minores fuere peſtes mortalium, quam inũdatio, qua planum omne perfuſum eſt: quam conflagratio, qua magna pars animantium exaruit.* Darius quoque, tot populorum Rex quot enumerare graue ſit, ſilente velut cælo, occubuit: hoſtem è prælio fugiens, non minus miſere à ſuis jugulatus fuit, quam ſuperbe pugnauerat. Parco exemplis nam ardeat, vt ſic dicam, cælum, ſi tot ignes natos dixeris, quot à rerum origine Principes fuere. Quemadmodum vero extra metum omnem Veſpaſianus fuit: ita maxime Nero timuit. Nam cum temporibus eius *ſidus Cometes effulſiſſet,*

ſiſſet, de quo , ſcribente Tacito , lib. XIV. Annal. *vulgi opinio eſt , tanquam mutationem Regis portendat: quaſi iam depulſo Nerone, quiſnam deligeretur, inquirebant.* Quia etiam in omnium ore Rubellius Plautus celebrari cœpit; hunc timere Nero, & hortari, conſuleret quieti Vrbis, ſeque praue diffamantibus ſubduceret. Eſſe illi per Aſiam auitos agros, in quibus tuta & inturbida iuuenta frueretur. Abijt ſane monitus, & quid niſi minas æſtimauit? ſed vt mox tamen trucidaretur. De hoc Cometa Octauia apud Tragicum:

Vidimus cælo iubar
Ardens, Cometam pandere infeſtam facem,
Qua plauſtra tardus noctis æterna vice
Regit Bootes, frigido Arctoo rigens.

Vnius ſic quidem morte tutum ſe crudelis Imperator credidit , vt mox truculentior & immanior eſſet. Nouo enim mox Cometâ per-

perterrefactus, nullum fecit ſæuitiæ modum. Huc eiuſdem Taciti ſpectant verba lib.xv. Annal. *Fine anni vulgantur prodigia, imminentium malorum nuncia. Vis fulgurum non alias crebrior, & ſidus Cometes, ſanguine illuſtri ſemper Neroni expiatum.* & quomodo expiatum? E Suetonio diſcimus, in eodem Nerone: *Stella Crinita, quæ ſummis poteſtatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius ea re* (Nero) *vt ex Babillo Aſtrologo didicit, ſolere Reges talia oſtenta cæde aliqua illuſtri expiare, atque à ſemet in capita Procerum depellere: nobiliſſimo cuique exitium deſtinauit.* Doctrina hæc è Ptolemæo hauſta, qui *portendi exitium aut Regi, aut alicui Magnatum exiſtimat, ſi in centro geneſeos Regiæ Cometa apparuerit.* Quia vero aut Regi, aut alicui Magnatum auerti fatum poſſe, ſuperſtitio credidit, & in ſuccidaneum velut

caput

ſi eodem fato pelluntur Principes, quo intereunt: quis obſecro Cometa Dionyſium Iuniorem, Siciliæ tyrannum à ſceptro ad ferulam deduxit? à Regno ad ludum? Quis Tarquinium Roma pepulit? Quis tot alios fortuna exuit? paupertati & miſeriæ mancipiauit? ſine prodigio experti ſunt, quid extremum in rebus humanis eſſet: prolapſi, priuſquam monerentur. An mirum? ſceleſti, impij, vno verbo tyranni fuerant: hoc ſatis prodigij erat.

PARADOXVM VI.

Artes, ſcientiæ, & ingenia formidine ac infortunio liberata. Prognoſtarum vaticinia deliria eſſe. Inſignis Seruij de Cometa locus.

Cæterum ingenioſis decretis ſuis, neſcio quam audaciam Mathematicorum filij adijciant: ab hominibus ad ſcientias, moreſ-

neris rabiem in mortalium amores transfundi. An, quia ſuo igne fictas in cœlo formas Sidus accendit, homines in terrâ fœdi ſunt, & libidine ſtimulantur? Nunc etiam venena timete; Serpentem Cometa tetigit, an & Serpentis caput? Reliquum enim fortaſſis extra noxam corpus eſt, ſinuoſo licet flexu horrorem mentiatur. De Triquetrâ, & Quadratâ configuratione, nimis meherculelepidum eſt. Nempe:

Conſenſu quoque fata mouent, & fœdere gaudent.

Et quę igitur hæc συμπάθεια? Trigona, & Tetragona. Illa, quæ tribus interſectis ſignis, primum cum quincto; hæc, duobus duntaxat primum cum quarto componit. Sed cur & Hexagona huc non faciunt? quia à Mercurio aliena. Mercurius hic enim, quia de litteris ingenijsque agitur, Cometam regit. O ingenioſæ nugæ!

Occidentem attenderit, grauat Italiam & quicquid ab Italia vſque ad Hiſpanias tendit: ſi à Meridie in Septentrionem ierit, à bellis quidem externis ſecuritatem denunciat, ſed ſeditiones domeſticas ſignificat. Alter Cometes eſt, cui ex gladio nomen eſt: Nam Græcè ξίφος[An ξιφίας? *] appellatur, cuius tractus eſt longior, & pallidus color, neque comas habere dicitur, & hebetior eius flamma eſt: qui ſi Orientem attenderit, Regem Perſidis dolis ſignificat appetendum: denunciat & bella, etiã Syrios pari conditione inuoluit, & Lybiam atque AEgyptum fraude & inſidijs nũciet poſſe * laborem:* [Lege: *nunciat poſſe laborare.* niſi tamen Meridiei, & Septentrionis hîc fata deſiderentur.] *quod ſi Occidentem attenderit, fœdera noua regionis eius Regi ſignificat, quæ, dicit, per puellam congregatam in nuptias, poſſe diſſolui. Tertius Cometes eſt, qui Lampas appellatur, & quaſi fax lucet. Hic cùm Orientem attẽderit,*

omnes illas Orientis partes dicit nebulis poſſe laborare, frugeſq; earum caliginoſo aere corrumpi: ſi Meridiem attenderit, Africam dicit ſiccitate & ſerpentibus poſſe laborare: ſi Occidentem ſpectauerit, Italiam dicit, aßiduis fluminum inundationibus laborare: ſi Septentrionem viderit, famem gentibus Septentrionalibus ſignificat. Eſt etiam Cometes, qui verè Cometes appellatur: nam comis hinc inde cingitur. Hic blandus eſſe dicitur: qui ſi Orientem attenderit, lætas res ipſi parti ſignificat: ſi Meridiem, Africæ, aut Aegypto gaudia: ſi Occidentem inſpexerit, terra Italiæ voti ſui compos erit. Hic dicitur apparuiſſe eo tempore, quo eſt Auguſtus ſortitus imperium: tunc denique gaudia omnibus gentibus futura, ſunt nũciata: ſi Septentrionem attenderit, proſpera vniuerſa ſignificat. Eſt Quinctus Cometes in tympani modum, quia & valdè lucet, & electri colorem habet, quem Diſceum vocant, quoniam iſte ex vno locon Sol & gignit orbi terarũ cades,*

des, rapinas, bella, & cætera mala ſignificat. [Fortaſſis: *Quoniam iſte ex vno loco non ſolet gigni, Orbi terrarum*, &c. Si amplius conjecturæ concedis, explere auſim: *ex omni loco vndique paruos radios emittit & quoties ſoleat gigni, Orbi*, &c. Sic Plinius lib. II. cap XXV. *Quos (radios) Diſceus ſuo nomini ſimilis, colore autem electri, paruos è margine emittit.*] *Sextũ Cometen appellari ex Regis Typhonis nomine Typhonẽ dicunt, qui ſemel in Aegypto ſit viſus, qui nõ igneo, ſed ſanguineo rubore fuiſſe narratur. Globus ei modicus dicitur, & tumens: crinem eius tenui lumine apparere ferunt: qui in Septentrionis parte aliquãdo fuiſſe dicitur. Hunc Aethiopes dicuntur & Perſæ vidiſſe, & omni* * *malorũ & fames neceſſitatis pertuliſſe quarum plena, vel in pleniores differentias , vel in Campeſtro, vel impetus ſiriſiq;* * *delectauerit quærat.* Verba hæc, tanquam funera ſunt; aſteriſci, tanquam Cometæ. Duorum enim

inſignium Scriptorum nomina: hic iugulata &ſepulta iacent; quæ eruo, &ad vitam voco: *Et omnia genera malorum, & famis neceſſitates pertuliſſe. Horum plures, & pleniores differentias vel in Necepſo, vel in Petoſiri, ſi quem delectauerit, quærat.* Necepſus, & Petoſiris, Ægyptij & Aſtronomi fuerunt, quos coniungere Scriptores amant. Pręter Seruium, & fortaſſis Auienum, Plinius, lib. II. c. XXIII. De mundi geometriâ: *AEgyptia ratio, quam Petoſiris, ac Necepſos oſtendêre, ſingulas partes in Lunari circulo, vt dictum eſt, minimo, triginta duobus ſtadijs, paulo amplius patere colligit.* Ægyptia ratio: quia vterq; ille Ægyptius. Et lib. VII. ca. XIIX. De varietate naſcendi: *Durat & ea ratio* (AEgyptia,) *quam Petoſiris, ac Necepſos tradiderunt, & tetartemorion appellant, à trium ſignorum portione.* Iulius Firmicus præfatione li. IIII. *Illi Diuini viri atque omni admiratione digni,*

gni, Petoſiris Necepſoq́ȝ, quorum pruden-tia ad ipſa ſecreta Diuinitatis acceſſit, etiam mundi genituram diuino nobis ſci-entiæ magiſterio tradiderunt, vt oſtend-rent, & demonſtrarent, hominem ad na-turam mundi ſimilitudinemq́ȝ formatū, iiſdem principiis, quibus ipſe mundus re-gitur, & continetur, perenniter perpetu-itatis ſuſtentari comitibus. Petoſirin tamen ſeorſim Suidas nominat, & Aegyptium fuiſſe Philoſophum, ſcriptis Aſtrologicis clarum. De Typhone vero breuiter ſic Plini-us, lib. II. cap. XXV. *Diraq́ȝ comperta AEthiopum, & AEgypti populis, cui nomē æui eius Rex dedit Typhon, igneâ ſpecie, ac ſpiræ modo intorta, viſu quoq́ȝ toruo, nec ſtella veriùs, quàm quidā igneus no-dus*. Volunt autem plurimum mo-menti in illo ſigno eſſe, in quo Co-meta natus eſt; nimirum originis quaſi lege: vt alia & alia ſubit, in-dole variari. Neſcio an tanti ſit, ſed tamen recenſeo: *Ab Ariete motus &*

 ſedi-

ſeditiones Orienti imminere. à Tauro, Septentrioni & Occidēti. A Geminis, impuras inceſtaſq; libidines immitti, Religionē labefactari. A Cancro, peſtilentiam, Iuris oppreſſionem, aliaq; mala eſſe. A Leone, frugibus, arboribuſq; vitium. A Virgine, RegumPrincipumq; miniſtris damnum, carcerem, exilium. A Librâ, latrocinium. A Scorpione, diſſidia, proditiones, rebelliones, A Sagittario, artibus ſcientijſque vilitatem ac contemptum. A Capricorno, honeſtati ac pudicitiæ maculā. Ab Aquario, tumultum, cædem, populationem. A Piſcibus, diſcordiam, lites, bella, inter amicos & propinquos. An ſatis? *Vt ſuas Signa Regiones occupāt, has potiſſimū vrgeri.* Volunt etiam Cometarum virus vireſque à crinibus in proximum quodque Sidus transfundi. Vnde *ſi in Saturni globum fax conuerſa eſt, ſatorum interitū & annonæ caritatem ſequi: ſi in Iouis, Diadematum ſiue damna, ſiue pericula: ſi in Martis, cruentam vim armorum: ſi in Veneris,*

mulie-

mulierum interitum, & præcipue magnarum Regiarũquê: ſi in Mercurij, turbas & ſeditiones populares. Solem, Lunãque ab hoc ſodalitio eximunt: circa hos enim vix Cometam collucere: ſi collucet tamen, *promiſcuam Orbi terrarum cladem ſtragemque portendi.* Ecce quicquid de Aſtris ſomniant aut fingunt cæli interpretes, ad Cometen referunt, tanquam ad Aſtrum. Sic & pulcherrima mundi machina impoſturis obnoxia fit, & tot illuſtres ignes in exitium generis humani computantur. Dixerim profecto, aut alienari ab hominibus cælum, aut à cælo homines, dum felicitatis regio triſtiſſimis impletur fatis, & mortale Genus quicquid ad terrorem minaſque deductum eſt, timere cogitur. O quanto ſatius, ſecernere à Diuinorum communione corporum horroris cauſſam, & innocen-

tiam cœlo permittere! quando ſatius, naturæ ſimplicitatem ingenioſa ſuperſtitione liberalre! Siccine aut ardere non poteſt aer, aut illuſtrari cęlum, niſi vt terrarum quies ſcelere & ærumnâ conturbetur? Siccine peccare non poſſunt homines, niſi & ſidera iniqua ſint? Monet fateor, & terret prodigijs Deus: & ſe Deum oſtendit: ſed hæc tum prodigia ſunt, mira, inuſitata, à naturæ modo aliena. Vt ſic dicam, ſtare Solem, & cælum quieſcere: extingui ſidera, & noua accendi: deprimi cardinem; & tantæ machinæ compagem ſolui. Sed quid? Hæc omnia ſeruent ordinem ſuum, & nihilominus Auctorem omnium agnoſcam Deum. Nam quia Deus eſt, hæc ſic fiunt omnia: Sol fertur, cælum mouetur, lucent ſidera, conſtat axis, mundus durat. ſic & Cometa naturam ſuam habet, & innoxius,

noxius eſt:examinandus,vt terrore liberemur. Naturam, inquam, ſuam habet: imo & ἀποτέλεσμα ſuum habet:ſed profecto occultum,aut parum adhuc exploratum.Homines igitur quia verum ignorant,affingunt falſum;& fida obſeruatione deſtituti, corruptam errore opinionem amplectuntur.Nimis profecto arduum eſt vim aſtrorum definire.Grandiori nobis quotidie flamma ipſi Planete lucent, & tenebras tamen ſolertiæ contemplantium offundunt:errant,cum nequaquam errent,& in errorem præſagia omnia ducunt. Adhuc neſcimus,an, quomodo,quandò, ſiue propitij,ſiue infeſti ſint,licet quotidiani ac familiares: & peregrinos iſtis,raris, fugacibus ignibus,non ignibus,omnium & hominum & regionum fata fatui aſſignamus.His fidem in futuro

quærere, & Cometis dare vim extinctis, maioris dementiæ eſt. Quia ſtatim non ſequiunt minæ, ſequi dicuntur; poſt menſes, & annos tandem, ſi Dîs placet, matureſcere; an addo? interea, velut otioſos, in aliquo cæli angulo deſidere. Ergo nocent Cometæ, & ne exiſtunt quidem; nō ſunt, & obſunt. Quaſi dixerim, vrere ignem, ſed iam extinctum; lucere facem, ſed in cineres iā dilapſam. Quod ſi omnino credulitas rationem vicit; timeri, quamdiu cōſpicuum eſt, portentum poſſit: deinceps negligi. Nam vt vllę hic vires ſint, nullæ, profecto poſtumæ, niſi confingantur. Sol dum lucet, non poſtquam luxit, diem facit: æſtatis hiemiſque vices non relinquit, ſed ducit. Præſentem quoque Lunæ vultum inferior hæc humidiorque natura exprimit, tumentis plena, deficientis exareſ-

exareſcens. Cogita in Cometa, Solis, Lunæq; conditionem eſſe, imaginem eſſe, adeoque ſalutarem.

PARADOXVM VII

Cometam à nonnullis olim fauſtum ac propitium habitum. De noſtro amœna quædam obſeruatio.

VOs fauete Boni: ab aſtris & ego vaticinium ſumam: ſed fauſtum lætumque, & oratione benigniori: niſi quicquid demũ triſte & dirum, placere debeat. Salutares autem nonnullos Cometas fuiſſe, iam dictum eſt. Fuit ille, qui natalẽ Mithridatis Regis Ponti, & ille qui auſpicia regni illuſtrauit: certe Mithridati fuit. Fuit ille qui Romæ in tẽplo cultus eſt, quia Auguſto & orbi terrarum fuit: de quo Virgilius Eclogâ IX.

Ecce Dionæi proceſsit Cæſaris aſtrum:
Aſtrũ, quo ſegetes gauderẽt frugib. & quo
Duceret apricis in collibus vua colorem.

Naſo ad Iulium refert li. XV. Metamorph. *Reſque*

Arboris & prati hoc paſſim apud Poetas el gium eſt. Peculiariter etiam Κομήτης λειμὼν, quemadmodũ ἀςὴρ Κομήτης, dicitur: *pratum comans*, id eſt, Læto, & comante gramine veſtitum. Sic igitur & Stella Comans ſiue Crinita, quæ lætos radios ſpargit. Quod ad herbam, Tithymallus Characias, ſiue maſculus Κομήτης appellatus, cuius in cacuminibus coma iuncea naſcitur, & velut ridet. Addo, quod è Plinio Seruius colligit in lib. x. Aeneidos. Quia enim *Cometas* legerat *fieri de Planetis quinque*: explicationem adfert: *Vnde interdum bona, interdum mala ſignificant. Nam ſi de Venere aut Ioue fiant, meliora ſignificant: ſi de Marte, aut Saturno, deteriora. Mercurius ſemper talis eſt, qualis ille cui adhæret: vnde & Miniſter Deorum fingitur.* Idem; & ibidem, ex Auieno: *Eſt etiam alter Cometes, qui verè Cometas appellatur. Nam comis hinc in-*

de

de cingitur. Hic blandus eſſe dicitur: qui ſi Orientem attenderit, lætas res ipſi parti ſignificat: ſi Meridiem, Africæ aut AEgypto gaudia: ſi Occidentem inſpexerit, terra Italiæ voti ſui compos erit. Hic dicitur apparuiſſe eo tempore quo eſt Auguſtus ſortitus imperium, tunc denique gaudia omnibus gentibus futura ſunt nunciata: ſi Septentrionem attenderit, proſpera vniuerſa ſignificat. Non mala tantùm, ſed & bona denotari, ſatis, ſi concedat Antiquitas: vnde & bonum quandoque Cometam eſſe, ex eodem dogmate ſtatuas. Bonum ſcilicet, ſi ex ambiguo, alterutri bonorum juncto. Noſter, vt ad rem veniam, vnde factus ſit, iã antè dixi: Mercurio proximum fuiſſe, quamdiu in Planetarum viâ moram traxit, manifeſtum eſt. Lepida & amœna hominis Docti & ſcientiarum Mathematicarum periti obſeruatio eſt, quam ab antiquæ Nobilitatis, Virtutis, Elegantiæ

tiæ Viro HESSELO AB HERMANA, Amico meo, &, quod glorior Auditore, accepi: *Non videri ex vllo ſiderum errantium coitu hoc ſidus natum. Illa enim per hoc tempus grandi ſatis inter ſe diſiuncta interuallo, ſolitaria, & quodammoda vidua fuiſſe. Vnum omnium quaſi iter fuiſſe, eadem veſtigia, ſed ſerie quadam per eundem cœli tramitem diſtincta.* Quid? *Chorum tot luminum, atque ordinem quendam fuiſſe, pleno ac redeunte in ſe orbe abſolutum.* Itaque præcedebat Phœbus, princeps ac moderator reliquorum, hinc Scorpio, illinc Serpentario, tanquam gemino ſatellitio munitus. Ne Reginam deſiderares, Venus, ſed triginta ſex partium interuallo ſequebatur: à tergo inhærente veſtigiis Capricorno. Spatium fere quadraginta partium interiectum erat, & hilarem nectare vultũ Iupiter o-
ſtendit

ſtendit, proximam Ganymedis vrnam quaſi tangens. A Ioue Lunam, ſiue Dianam viginti circiter tres partes ſeparabant: quia feræ deerant, circa Piſcem Auſtrinum occupatam. Ergo inſolito exemplo, & venationem, & in cælo admireris. Interſtitio centum deinde partium tardus ſenio Saturnus ferebatur, Taurum, velut iugo ſubiecturus, cornibus apprehendens. Pari hinc pænè remotus ſpatio Mars Gradiuus, impetum facere in Leonem viſus, nouoque labore ponè Herculis monſtrum vrgere. In extremo tandem orbe lucentem barbæ iubam nouum Sidus explicuit. Auroræ nuncium putes, alterumque quaſi Phoſphorum: ſub cuius radijs Mercurius, agmen velut ex inſidijs ſequens, latitabat. Furtiua hæc veſtigia erant; mox tamen detecta, procurrente in Boreæ latus Cometâ, & per ſigna, aut

iux-

iuxta ſigna, quæ propitia augu-
ror.

PARADOXVM VIII.

Felicitatis præſagium, ad Pontificem, Imperatorem, Regem Catholicum, & Sereniſſimos Principes noſtros relatū.

FElix fauſtumque Libræ ſignum eſt, æquinoctio cœlum, autumno annum diuidens: hinc quia moueri nouum Sidus cœpit, pro felici fauſtoque habendum; quia in cardinem ipſum porrexit, oſtendere potuit quantum & quouſque ſe AEquitas & Religio eſſent extenſura: oſtendere, vnde illuſtrandæ gentes, quas tenebræ quædam temporum inuoluerunt. Libra eſt, hanc ſibi Sidus vindicat; imo Roma eſt, hanc Libra notat. AEquitas eſt imo Religio eſt: Religionem AEquitas inducit. Sic Manil. adhuc verſus vſurpo, lib. IV.

Heſperiam ſua Libra tenet, quâ condita Roma,

Et

Et proprijs frenat prudentẽ nutibus orbẽ
Cras & imperium retinet. Diſcrimina rerum
Lancibus, & poſitas gentes tollitq́ premitque.

Mittet felici nunc omine Roma ſanctiſſimæ maieſtatis radios: & Eccleſiæ Romanæ Princeps Pōtifex maximus, infracto & vniuerſali Dogmatum conſenſu felicitatem Religionis extendet. Submittit eanimos, quotquot eſtis in Chriſtianum nomen adoptati: ſanctius pietate, quāimperio Orbis regitur. ne quis tamen imperium deſideret, Diuinum eſt, & cęleſti nutu gubernatur. Quod ad Diſcrimina attinet, à Poeta nominata; hæc æquitas, non potentia facit; benigna bonis, ne prę-mium deſideres; ſeuera mali-, ne ſupplicium auerſeris. Regi & confirmari ſic quoque Religio debet, aut Religio non e-

rit

rit: Deum exprimere, qui & amantis & iraſcentis vultum ſumit. Ad Cometam redeuntis à ſignifero deflectens, mox exaduerſum Herculi ſtetit, vireſque cæli illuminauit. Præſenti face quidni prudentiam denotem, & ſummæ ſiquidem poteſtati iunctam? Quiſquis ille Hercules, ille Heros, qui ſubiectum cælo mundum regit, videt: quiſquis ille, (& nonne noſter?) non impetu ſed ratione regitur. Item, quæcumque hæc prudentia, quæ terrarum Orbem ſuſtinet, oculata eſt, & ab aſtris lumen deriuat. Sic tanta rerum moles ſecura eſt; ſic tutæ vires, quibus illa ſuſtinetur. Videre, hoc eſt firmum eſſe; vis prudentiæ expers, cæca eſt. Huc & poetarum figmenta ſpectant, qui mihi videntur ſceptrum conſilio inſtructum, Argi imagine: deſtitutum, Cyclopis effinxiſſe. Fruſtra affluentis

fluentis fortunæ copia, niſi prouidè & cautè adminiſtretur: inani fiduciâ res ſæpe maximæ diſſipatæ ſunt. Itaque prudentiæ fulcro excellens Maieſtas nititur, nec caſum timet. Excellens, & ſic AVSTRIACA, quæ Orientem ſimul & Occidentem complexa, fuſis velut ſceptris, vbique terrarum fulget. Mundi Hercules, quis niſi Cæſar Auguſtus AVSTRIACVS, Imperij concordiã & felicitatem, ſummo auſpicio vrgens? verè Cæſar, & in rerum motu conſtans, in tempeſtate fortis: verè Auguſtus, & Numinis ope æternitatem nominis ſtabiliens. Mala & monſtra ſæculi fugient, non pelle tamen & clauâ, id eſt, horrore & ſæuitiâ; ſed ſceptro & diademate, id eſt maieſtate & clementiâ ſuperãda. Vaticinium vaticinio augendum eſt: Mundi Hercules, quis niſi noui Orbi Mònarcha PHILIPPVS Rex Catholicus?

cus? Suo propè vnius exemplo oſtendit, quid ſit in terris Maximum & ſimul Optimum eſſe; Potentiſſimum, & Leniſſimum. Certat cum humanitate quędam, vt ſic appellem, diuinitas: faciliuſque terminatam cum Orbe terrarum fortunam regit quam ſingula alii regna, prouincias, vrbes, familias. Etenim vbique quaſi Rex eſt, vbique Dominus, vbique Præfectus, vbique Pater. Putes, non Religione tantum, ſed potentia nomen titulumque CATHOLICI exprimi. Ne miremur: Religio tantam potentiam meruit: potentia ad ſummum faſtigium cura & conſilio prouecta, populorum ſalute confirmata eſt. Amplius etiam Cometæ tribuo: vicinus non Herculi modo, ſed Coronæ fuit. ſed quemadmodum Hercules & Imperatorem, & Regem AVSTRIACOS ſignificat:
 ita

totum percurreret. O pulchrum ſpectaculum !Gemino iã Arcturo,

Cuſtos Erymanthidos Vrſæ

illuſtrari viſus eſt. Quis igitur ille cuſtos ? Arctophylax. Quis? Sereniſſimus, Potentiſſimuſque princeps noſter ALBERTVS, cui Aſtræa ſua, id eſt, ISABELLA CLARA EVGENIA adhæret. Hic vere Arctophylax fugientem vrſam ſequitur, & inuitat. Fugientem, ſed ſuam: ſequitur, vt ſeruet: inuitat, vt felicem reddat. Quid hæretis meliore digni ſorte Populi ? redite vnde deſciuiſtis. Non alia tranquillitas eſt, quam ab vno regi: qui quanto maior meliorque, tanto æquius imperium eſt. Ipſa natura docet, membrorum munia ſub vno demum capite in ſalutis obſequium coaleſcere. ſiqua Prodigio fides, nouum quod fulget Sidus fauſta omnia pollicetur. A cælo ducen-

dum eſt omen : illuſtratur. Deus ipſe promittit Principem, quem oſtendit. Educite à terra,& erigite oculos: oſtendit AVSTRIACVM oſtendit ALBERTVM, oſtendit veſtrum Date honorem Maieſtati,in ætherea regione conſecrata eſt : recipite. Per aſtra deſignatur:pacem & felicitatem admittite, vtramque Cometa prominente fulgore annunciat. Aut vana omnia omina ſunt aut Cæleſti igne deſignari dixerim, à quo tandem poſt miſerrimi belli cõuerſionem Belgæ debeãt regi

PARADOXVM IX.

Concluſio,& argumenti excuſatio. Non ſidera,ſed ſcelera prodigia eſſe:ſceleratis portendi, quicquid timendum eſt.

AMoui præſagia, vt tamen vſurparem: pietate viciſſe ſuperſtitionem videor. Pietas bona omnia & fauſta ominatur:Superſti-

perſtitio, mala & infauſta ſemper timet. Illa quæ ominatur, ſperare audet: hæc quæ timet, nunquã amoueri poſſe putat: non Bellum, non Peſtem, non Famem, ærumnaſque alias, non denique triſte fatum Regum atque Principum. Itaque ſumpſi calamum, & in tam vario trepidantium tumultu, & vaticinantium metu, alloqui populos auſus: ſum imò Reges Principeſque. Alloqui auſus: ſed argumenti fiduciâ, non lætioris tantum ſed verioris. Breuiter: indulſi ingenio ſtiloque, vt admirandum mundi ſpectaculum ad litteras quoque reuocarem. Fortaſſis & mitiores ſic iam in Cometam plerique erunt, quem non omni penitus deſtitutum patrocinio animaduertent: ſolâ autem raritate formidari. Neſciatur quotidie, & nullum oſtenti nomen erit: ſplendeat ſemper, & negli-

gi incipiet. Sed quid eſt? quoties apparet, tanquam ignotus venit: nec aliam ob cauſſam mirus, quàm quia rarus; terrorem incutiens, quia neſcitur. Vos timete mali, ſemper rudes: ſcelerum nube involutis obſcura omnia, & horrenda ſunt. Timete, & expaueſcite, non mundi, ſed auaritiæ, iniuſtitiæ, impietatis portenta; in animo, non in cælo prodigia, quibus Deus, Lex, Natura iraſcuntur. Si qui etiam peccandi conſuetudine flagitia ſua non vident, attollant in ſublime oculos: vt metuere ſupplicia incipiant. Mehercle, quàm pulchrum eſt cælum, tam terribile quoque Numen, quoties non contemnitur tantùm, ſed negligitur. Quis contemnit? qui & in Regem, Principem, Magiſtratum impius eſt. Quis negligit? qui in Ciuem, imo in Se, ſiue iniuſte vitam inſtituendo, ſiue turpiter & flagitioſe,

tioſe. Interim Dei vindicem ipſa Natura aget, ſæuiet. Ne minæ deſint, tot ſemper fulgebunt Cometæ, quot Stellæ ſunt: in pectore cuiuſque prodigia, imo ſupplicia naſcentur. Sed quò digredior? Carmine claudere ſententiā lubet, & prorumpentem ſtili impetum numerorum velut religione coercere

Error hic, an terror fallax, qui dira Cometis
Fata dedit? ſæuum crinibus Imperium?
O vos, innocuo, Prognoſtæ, parcite cælo:
Oſtendi vanas Sideris ire minas.
Terra ſuos generat dānati luminis ignes.
Naturæ faces terra, faceſq; gerit.
Cernite corruptos, & dignos vindice mores,
An morbos? raptū per mala vota nefas.
Prodigio humanū ſtat crimē: parcite cælo
Sæuit & humano crimine prodigium.
Ergò fatalē ſcelerato in pectore flāmam
Accendit varijs vis animi furijs.
Hinc rubet in pœnā, valido perſtrictus ab igni

COROLLARIVM,
A
IVSTO ET FAVSTO
PVTEANIS
Paterna PARADOXOLOGIAE
adiectum.

SPectanti COMETAM Patri, atque etiam ſcribenti, operam aliquam dedimus; ſi non ingenio, certè manu. Nunc quoque officioſi ſumus, & quam iuuimus Editionem exornatum imus. Doctorum hic aliquot in Academiâ noſtrâ Virorum Carmina collegimus, qui bono affectu ſtimulati, addere pompam Operi huic, tanquam facem faci, lumen lumini, voluerunt. Scriptam quidem DE COMETA παραδοξολογίαν, ſi Cometam appellare licet; Verſus, qui accedunt, radij ſunt & fauente velut Phœbo miſſi. Conſtitu-

 eram

erat verò Pater non pauca huic argumento adiungere;ſed in re nouâ modum ſeruare maluit, morem etiam morbo, & poſt morbum languori gerere. Cæli tamen naturam, σὺν θεῷ, vberius aliquando explicaturus. Quæſtiunculam in præſenti proponit: An, quia apud Homerum lib. x. Iliad.

ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστὴρ, ad Cometam referri debeat? Hunc nobiſcum expende, quicunque curioſus es; & has Philoſophorum aliquot Veterum Opiniones à Plutarcho ſic breuiter, expreſſas.

DE COMETA PHILOSOPHORVM ALIQVOT VETERVM OPINIONES,

Apud Plutarch. lib. II. De Placitis.

PYTHAGOREORVM ALIQVI *Cometam cenſent Stellam eſſe, ſed ex ijs, quæ nonniſi poſt certum interuallum conſpicuæ, periodo demum confectâ, exoriantur.*

ALIQVI, *Reflexionem viſus noſtri ad Solem: quemadmodum in ſpeculis imagines quædam apparent.*

ANAXAGORAS ET DEMOCRITVS, *Coitum ſtellarum duarum aut plurium, fulgorem iungentium.*

ARISTOTELES, *Igneam è ſicco vapore maſſam.*

STRATO, *Lumen ſideris denſâ nube cõprehenſum: vt fieri in lucernis ſolet.*

AD
AMPLISSIMVM VIRVM
E. PVTEANVM,
Ex morbo conualeſcentem, in quem inciderat, cum de COMETA ANNI ∞. IↃC. XVIII. ſcriberet.

Dum vim portenti diris, PVTEANE, *Cometis*
Demis, & innocuum crinibus ire iubar
Aſtruis, afflictos inuaſit pallidus artus
Languor, vt ambiguis vix fluat ex animis
Inueterata diu ſententia, triſte rubentis
Quæ nunquam viſas ſideris aſſeruit
Impunè ſpecies. Iam fecerat omina morbus:
Viuus adhuc, cœli iam propè crimen eras.
Extimuit Phœbus, crudum ne forſan Alumni

Augeret veterem funus amaritiem.
Ergo ſerenatis aſtrorum cincta choræis
Agmina mox gyro deuocat aerio.
Afflatum miſcere iubet, qui languida membra
Roboret, & ſtellis detrahat inuidiam.
Ecce tuam Cæli iurant, PVTEANE, *ſalutem,*
Ne poſſet veri mors temerare fidem.

P. CASTELLANVS.

IN LI-

IN LIBROS
DE COMETA
AMPLISSIMI ET CLARISSIMI VIRI
ERYCI PVTEANI

I

IN terris fulget, qui nuper fulſit in Aſtris,
Inſolita pingens luce COMETA poli.
Illi Sol Phœbus lucẽ infundebat in Aſtris,
In terris Phœbũ Sol PVTEANVS agit.
Occidet hæc nunquam lux, illa receßit ab Aſtris:
Namque hic plus quàm Sol, Sol PVTEANE, potes.

II.

NEc peſtem terris, nec cuiquam fata Cometes,
Portendit famãſed, PVTEANE, tibi,
Nam quia demonſtras certâ ratione Cometen,
Excipient famam ſæcla futura tuam.

NICOLAVS Vernulæus.

IN

IN PARADOXOLOGIAM A. V. ERYCI PVTEANI De nouiſſimo COMETA.

QVæcunq́ gens es, cuius ille nuperus
COMETA *mentem perculit, per hunc Librum*
Quaſi per dioptram contuere panicum
Tuum tremorem, diſce ſenſus altiùs
Iácere iacentes, error hic erret procul
Qui terret: eſt inane nomen ominis
COMETA, *ſi rimére propiùs, antequã*
Mirêre properus. Euge, robur mutua
A mente noſtrâ Belgicorum, quos duplex
COMETA, *viſus panè eodem tempore,*
Nil perculit, ſed in ſtuporem perpulit
Lætum ac lubentem. Itane, inquies, Sidus
Ita, inquio, nihil ſiniſtri, perperã (duplex?
Minitans nihil, verum recenti lumine
Amœna, fauſtaq́ pollicens quã plurima.
Natura Sidus alterum dedit polo,
Liber iſte Sidus alterum dedit ſolo.

FR. MELCHIOR DAELHEMIVS
Erem. Auguſtinianus.

AD CL. V.

E. PVTEANVM,

Cùm de COMETA nouo PARADOXA ſcriberet.

PAradoxa cerno, Veritatis ſymbola,
In porticu Democritum,
Clauſamque cæli machinam Putei ambitu,
Et quicquid eſt miraculi,
Quicquid comatâ ſiderum ludit face
Natura, viſque occultior.
At ipſe ſubtiliſſimu riſu Sophus
Neſciuit olim, ſidera
Quo fonte traherēt crinium ardētes globos,
Sic crèvit error: dum latet
Ignotus ignis, quiſque portentum putat,
Majúſque vero territat
Inane monſtrum. Inane ſed primus facis,
PVTEANE, è Puteo tuo,
Potente calamo, Veritas tandem redux
Expugnat ignorantiam.
Dum voce doctâ, pariter & ſtilo exprimis
Quid ſit COMETA, noſcitur:
Vanaq; per te deprehenduntur mina
Abominati ſideris.

Nam.

IOANNIS STORMI
DE COMETA
CARMEN RECIPROCVM,
Naturam prodigij, & Effectum
Contrario ſenſu explicans

SIdus eſſe Prodigium, mirari homines deſinant: Carmen eſt, ſed de Sidere conſcriptum. Clariſs. Io. STORMIVS, Medicinæ, & Matheſeos myſt, Vir & morum probitate, & ingenij, variæque doctrinæ laude excellens, tam propitium Apollinis Geniũ habuit, vt, Quid ſit Cometa, & Quid portendat, mero Oraculo complexus ſit. Natura quidem breui, & Reciproco Epigrammate abſoluitur: Vaticinium autem XVIII. Diſtichis decurrit, recta & porrecta illa ſerie metum incutiens; inuerſa tollens. Diſponuntur fata, ſed ſi per eadem verborum veſtigia gradum referas, proculcantur ac pereunt.

OPINIO LOQVITVR.

Flagret Barba ea, non Solis ſit lumine fumi
Copia ſic ardet, non ibi Stella mera eſt.

RATIO RESPONDET.

Eſt mera Stella ibi, nõ ardet ſic copia fumi:
Lumine ſit Solis, non ea Barba flagrat.

OPI-

INteritum id Sidus radians , haud nunciat ortum
Principi : ito retrò, non bona vaticinor.
Occiduis nocet hæc lux.nec blanditur Eois,
Infeſtat Boreos, non ea amica Noto eſt.
Teutonibus mala, nec Belgis fert proſpera. Iberis
Aſpera, non populis hæc favet Auſonia.
Flagro percutiẽda eſt, nec tuta India abibis;
Turbat, non recreat fax nova Sauromatas.
Hercyniam opprimet armatis , neque culta colonus
Arva dabit : perdet, nec ſata perficiet.
Quadrat ſtella malè hæc Batauis; haud uniet ipſos,
Puniet hos vndis: haud locus obſtat huic:
Ijs turbat mare, nec toto ſinit orbe carinas
Ire: negat reditum, nec freta pandit ijs.
Agro perdet ibi, non tutos erit æquore innumis
Submerget Batauos, non mare placat iis,
Eſt fera vbique ea, non lampas ſatis æqua: ſepulchro
Orta datur ſoboles hinc neque viua patri
Deeſt ipſa auxilio, haud infantem promouet ortum:
Impedit, haud fœtus exitui apta præeſt.
Patrat monſtra , neque eſt inceptis utilis: abſtat.

obſtat
Fructib. haud teneris aſſiduò ipſa praeſt.
Intersmet prius, haud nuptas dabit eſſe puellas,
Ire facit ſteriles, nō citò fructiferas.
Lethiferas modò fert peſtes, nec pharmaca gignit
Commoda: dat calidas, haud ſine morte febres.
Reſ let cade loca. haud tectis hac abſtinet igni inijcit accensum, non [illegible] uet ipſa facis.
Exitium parit haud regnis hac proderit: urbes
Diruet excelſas non tuto reſtituet
Nobilibus mala, nec populo hinc op anda propinat:
Stella dat hac inopem fruge nec implet agrum.
Evacuat ſtabula, haud favet agricolis, Eſt
Eſt mala Barba ea, non ſuperûm hinc abit ira:
Cometes
Arma parat nobis non bona ſignificat.

RATIO RESPONDET

Significat bona, non novis, parat arma Cometes:
Ira abit hinc ſuperûm, non ea Barba mala eſt.
Agricolis fauet, haud miſeros facit eſſe: juvencis
Aucta replet multis, haud ſtabula eva cuat.

Agrum

Saurimatas noua fax recreat, non turbat: abibit
India tuta, nec eſt percutienda flagro,
Auſonia fauet hæc populis, non aſpera Iberis:
Proſpera fert Belgis, nec mala Teutonibus.
Eſt Noto amica ea, non Boreos infeſtat. Eois
Blanditur, nec lux hæc nocet Occiduis.
Vaticinor bona, non retrò ito: Principis ortum
Nunciat haud radiant Sidus id interitum

CENSVRA.

Hanc Paradoxologiam de Cometâ *nupero, eleganter ac eruditè conſcriptam, vtiliter prælo committendam conſeo, quòd & inveterata quædam neruoſè redarguat, atque ad plenioris de eo veritatis indaginem, & plurimum conferat, & occaſionem ſubminiſtret. Louanij, 4. Feb.* 1619.

GVILHELMVS FABRICIVS
Apoſtolicus, & Archiducalis Librorum Cenſor.

BONE LECTOR.

QVæcumq; hîc ſcripſi, verecundè ſcripta ſunto. Nam cùm de Sideribus, de Stellis, de Cælo diſputamus, cauendum maximè, nequid temere, aut impudenter. E Globis tamen ſiue Corporibus, quæ cælorum inerrant ſpatijs, quidni Cometas conſtituam? Hac fiducia Paradoxorum titulum vſurpaui. Inter Mathematicorum hodie primos Reuerendum, & rariſſimæ ſubtilitatis Virum Gregorium A S. VINCENTIO habeo: quippe Magni Clauij è Societate Ieſu Auditorem: is in Theſibus De Cometis, peculiarem de admirando hoc ſpectaculo opinionem exprimens, & quâ Paradoxa quædam noſtra confirmentur, eſſe eiuſmodi in cœlo Globos, eiuſmodi Corpora pariter profitetur. Id te Lector, ſcire volui, & ſaluere.

Σπȣδαίως ζῆν ἄριϛον.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google